



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744


[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)




Th. 3187.

J. VI

g.






VADE MECUM
S I V E
P R A X I S


OPERA QUOTIDIANA
Aliaque ritè peragendi, & per ea
salutem & perfectionem propriam,
ac proximi, instituto Societatis JE-
SU conformem assequendi. In-
dicata à quodam ejusdem So-
cietatis Sacerdote. *Collegii S. J.
Paderbornæ*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

IN OFFICINA NOETHEIANA
unter gülden Waagen. 1744.
Cum Permissu Superiorum.





Præfatio ad Lectorem.

Cuilibet seridè discutienti, quanta religiosis incumbat obligatio perfectionem vocationi ac statui suo convenientem assequendi, & morosius reflectenti, quam parum fors hæctenus in ea profecerit; non potest non facer aliquis horror salutarisque metus ob rationes ideo districto Judici reddendas oboriri. Remedium ad tempus præteritum juxta Apostoli monitum redimendum, futurumque ac præsens meliùs impendendum, non invenies efficacius; quàm si impostero saltem studeas dici cujuslibet opera actionesque omnes secundum tempus, modum, ordinem, exactionemque præscriptam peragere, atque in iis implere voluntatem Deï *bonam* (faciendo quod vult Deus) *beneplacitam*, quia vult, & *perfectam* quomodo vult. Cum hac ratione sensim sine sensu passionem perfectioni remorem injicientes edomare, & in virtutum semita progressum de die in diem facere possis. Hinc liber hic trifariam divisus, quomodo instituto Societatis conformiter opus de die quodlibet reipsa peragendum sit, plerumque S. Scripturæ verbis edocebit *in primâ sui*

sui parte. Adjectâ hinc inde animadversione aliquâ, in quibus, si v. g. exercitiorum tempore eas loco considerationum ruminas, videbis compendium observandorum ab homine Societatis, & solida pro totius vitæ decursu principia inculcari. Cùm autem perfectionem virtutumque exercitium vel maximè foveat ac consolidet, atque ad quotidiana opera meliùs peragenda mirè exstimulet perpetua mentis nostræ cum Deo conjunctio. Hinc *in secunda parte* ipsis plerumque S. Script. verbis utpotè inter omnia efficacissimis ostendetur, quomodo exereenda sit continua mentis in Deum elevatio, & ad salubria documenta reflexio ex omnibus, quæ intellectui ac sensibus per diem infra ac supra nos in mundo terraqueo occurrere possunt, ubi pro re nata non negligentur ea, quæ serviunt ad te in fide unice salvificâ confortandum, & consequenter fortiùs Deo summo bono, ultimòque fini tuo uniendum. *Tertia Pars* complectetur ea, quæ vel quotidie non peraguntur, vel fusiori explicatione indigent, ut sunt meditatio, Confessio, Sacrum, horæ Canonice, Visitationes sanctissimi Sacramenti, solidæ devotionis exercitia erga Deum Triunum, Beatissimam Virginem Deiparam, Angelos sanctos, misericordiæ opera erga defunctos ac vivos, & demum tum quotidiana tum proximior ad mortem bene obeundam præparatio. Ecce totam œconomiam.

PARS



PARS PRIMA

De operibus quotidianis juxta ordinem diei præscriptum ritè peragendis cum animadversionibus septem.

S. I.

Devotio & matutina meditatio.

EXcitatus pronunciatis SS. nominibus, signo crucis te muniens, quantocyùs te è lecto proripe, & quasi ex tumba aut sepulchro voce Angeli ad judicium evocatus dic: *Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. Exsurgam diluculo.* Ps. 107. Vitam, vires, vestes resumo à manu tua, mi DEUS, eâ purè intentione, quâ tu me hâc nocte, & usque huc conservâsti, & porrò conservaturus es; atque ex eadem prorsus intentione, quâ tu mecum hodie concurre, omnia diei hujus opera peragam. Dein aspergens te aquâ benedictâ le-

A

cto

& o proximâ dic: Declinate à me maligni, & scrutabor mandata DEI mei Pl. 111^o

Inter induendum devotè recita ex Pl. 62. sequentia: DEUS meus ad te de luce vigilo: sicut in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea! Benedicam te in vita mea (de die in diem) & in nomine tuo levabo manus meas. Sicut adipe & pinguedine (gratiæ & meritorum) repleatur anima mea (hodie per omnes actiones meas) & labiis exultationis laudabit os meum. Memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti Adjutor meus, & in velamento alarum tuarum [hâc die totâ] exultabo. Adhesit anima mea post te, me suscepit dextera tua (& protegat ulterius contra hostes animæ meæ.) Si oblitus fuero Jerusalem [cœlestis in omnibus actionibus meis] oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. Pl. 136.

Initio enim, cujusvis actionis meæ aliam intentionem non faciam, quàm pro DEO & Cœlo. Fac me, Pater æternæ, exuere veterem hominem cum actibus suis, & induere novum, qui secundum DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis. ad Ephes. 4. Indue me, JESU Christe Rex gloriæ, virtutum tuarum insignibus [juxta reg. Summar. 11.] ut impleam illud Apostoli tui; Induimini Dominum nostrum JESUM Christum. Rom. 1. O divine Spiritus, obsecro te, internam amoris tui legem [juxta reg. Summar. 1.] cordi meo inscribe, ut regulas exactè

De operibus quotidianis. 3

exactè servem, & cum Propheta dicam: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ps. 118. Et tu immaculatè concepta Virgo, Mater DEI, & mea, Angelèque Tutelarìs muni me armaturá DEI, loricá Justitiæ, galeâ salutis, scuto fidei, & gladio Spiritûs, ut possim stare adversùs insidias Diaboli, & omnia tela nequissimi ignea extinguere. Ephes. 6. Et vos pariter assistite SS. Patroni mei, non enim solum mihi est colluctatio adversùs carnem & sanguinem, passiones, & pravas inclinationes meas; sed & adversùs Principes & Potestates, adversùs mundi Rectores tenebrarum harum. Ephes. 6. eorùmque malevolentiam, prava exempla, respectum humanum, tentationesque varias Dæmonum.

Dum caput pectis: *Non convertatur dolor in caput, & in verticem iniquitas non descendat.* Ps. 7. *Præveni me in benedictionibus dulcedinis, pone in capite meo coronam de lapide pretioso.* Pl. 10.

Dum faciem & manus lavas: *Amplius lava me, & ab iniquitate mea munda me.* Ps. 50.

Inter eundem ad chorum manè, & aliàs per diem: *Ego in multitudine misericordie tue introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Ps. 5. *Introibo in domum tuam in holocaustis (mei totius oblatione) reddam tibi vota mea (renovando vota religionis) qua distinxerunt labia mea.* Ps. 65. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS. Sitivit anima mea (ad DEUM Eucharisticum) fontem vivum.*

A 2

Quando

4 *Pars prima*
Quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?
Eum scilicet videns non sub ænigmate & speculo,
sed de facie ad faciem; ut finem hunc ultimum
meum attingam, constanter de die sæpiùs
transibo in locum tabernaculi admirabilis (ubi as-
servatur Eucharistia) usque ad domum DEI.
Ps. 41.

Ingressus chorum dic:

Quàm dilecta tabernaculata tua, Domine virtu-
tum! concupiscit, & deficit anima mea in atria
Domini. Cor meum & caro mea exultaverunt in
DEUM vivum [sub specie Panis absconditum]
Altaria tua, Domine virtutum [virtus maxima
potentiæ & amoris elucet in Eucharistia] Rex
meus, & DEUS meus. Beati, qui habitant
[indies frequenter DEUM Eucharisticum invi-
sunt] in domo tua Domine, in secula seculorum
laudabunt te. Ps. 82. In horum omnium unio-
ne, & Sanctorum communiione particeps ego
sum omnium timentium te, & custodientium man-
data tua. Ps. 118.

Praxin septiplicis per diem visitationis chori
vide part. 3. post visitatum chorum ad locum
meditationis progrediens dic: *Manè adstabo ti-*
bi, & videbo; quoniam non DEUS volens ini-
quitate tu es. Ps. 5. Prævenere oculi mei ad
te diluculo, ut meditarer eloquia tua. Ps. 118.

Passu uno alterove ab Oratorio distans juxta
addit. dic: *Dirigatur, Domine, oratio mea,*
sicut incensum in conspectu tuo. Ps. 140. fac præ-
ludia, aliæque consueta. Orationi preparato-
riæ addi potest invocatio Angelorum, Sancto-
rum,

De operibus quotidianis.

rum, & præcipuè B. M. V. hoc modo, v. g.
Aperite mihi [Angeli, SS. Patroni mei] *por-
tas justitiæ; ingressus in eas confitebor Domino*
(imaginare tibi consulentes, ut præprimis con-
fugas ad MARIAM, & dicentes) *Hæc porta*
Domini: Justi intrabunt in eam. Ps. 117.

Per decursum meditationis servire poterit
mox hoc, mox illud suspirium ex sequentibus:

*Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de
lege tua.* Ps. 118. *Emitte lucem tuam, & veri-
tatem tuam* (ut bene capiam, altè in cor immit-
tam veritates æternas) *ipsa me deduxerunt, &
adduxerunt* [deducunt, & usque ad finem vitæ
adducunt] *in montem sanctum tuum, & in taber-
naculo tuo.* Ps. 42. *Notam fac mihi viam, in
qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.*
Ps. 142. *Quoniam tu illuminas lucernam meam
intellectus, Domine DEUS meus! illumina tene-
bras meas,* Ps. 17. quæ ab amore proprio affun-
duntur intellectui. *Audiam fac mihi manè* (in
medit. matut. à quâ bene peractâ plurimum pen-
dent rotius diei opera) *misericordiam tuam, quia
in te speravi.* Ps. 142. *Viam justificationum tua-
rum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.*
Ps. 118. Per diem exequendo facta manè pro-
posita, & sic cogitatio hominis confitebitur tibi, &
reliquia cogitationis [luminum in meditatione
acceptorum, & ad praxin applicatorum] *diem
festum agent tibi.* Ps. 75. *Audiam, quid lo-
quatur in me Dominus Deus* [per diem recolli-
gam] *et enim Dominus dabit benignitatem, &
terra nostra dabit fructum suum.* Ps. 84.

Dum in meditatione lumen vel consolationem accipis.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus [mundano spiritu plenus] non intelliget hac, Psal. 91. quam magna multitudo dulcedinis tua, Domine, quam abscondisti timentibus te, Ps. 30. Repleti sumus manè misericordiâ tuâ, exultavimus, & delectati sumus, Ps. 89. Notas mihi fecisti vias vite, adimplebis me latitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem, Ps. 15. Hæ reddunt omne jugum Religiosis suave, & hinc sæculares, dum labores ac mortificationes &c. Religiosorum vident, crucem vident, teste S. Bern. sed non unctionem.

In ariditate & desolatione.

Ut quid Domine recessisti longè? despicias in oportunitatibus, in tribulatione, Ps. 9. Dormitavit anima mea præ tadio, confirma me in verbis tuis, Ps. 118. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam Adjutor & Protector noster es; quia in eo letabitur cor nostrum, Ps. 32. Redde mihi latitiam Salutaris tui, & Spiritu principali confirma me, Ps. 50.

Post meditationem te recolligens morosè reflecte, quomodo defectus hesternæ diei hodie emendare, tempus in hac, illa occupatione bene impendere, huic, illi passioni in his, illis circumstantiis se fors moturæ obviare velis, & dic: *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ (facta hæc, illa proposita) custodiam legem tuam semper in seculum sæculi, Ps. 118. De medit. vid. plura P. 3.*

ANIMAD-

ANIMADVERSIÒ PRIMA

Circa Spiritualia.

MElanchtoni in extremis ingeminanti, væ! quid fiet nobis? *Totus mundus repletur Jesuitis*, cum quidam ex circumstantibus respondisset, eventurum iis, quod Templariis, qui fuerunt, ad tempus floruerunt, & dein perierunt. Ipse in memoranda hæc erupit verba: *Si Jesuita orationi dediti permaneant, & à mulieribus abstineant, perseveraturos ne dubita.* S. P. N. dicere solebat, facilius novam religionem posse condi, quàm veterem, quoad disciplinam collapsam restaurari. Cum autem omnis & Ordinis disciplina collapsa, & privati cujusque lapsus primum in deliberata & grossiora venialia, dein mortalia peccata, & demum Apostasiam: initium (unanimes Ascetarum calculo, teste Lancic.) sumpserint, & sumptura sint à neglectu spiritualium, & maximè meditationis matutinae. Teneas constanter pro solido principio, imò te esse in statu & tempore periculoso, si ob neglectas meditationes non angaris amplius, nec timeas inde quid mali eventurum; eò quòd sat superque animum veritatibus æternis imbutum habeas. Ista præfidentia solet à DEO peniri, & sic tristi edoctus experienciâ occinere tibi poteris illud Ps. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea; quia oblitus sum comedere panem meum diurnum, sive animæ cibum in meditat.* *Sine quo vivere ea non potest diu.* 2dò, sicut ex

jam dictis clarè patet, quanta & ratione boni communis, & privati cujuslibet incumbat obligatio, Superioribus (*qui pervigilant quasi rationem pro animabus sibi concreditur reddituri*) urgendi, ut statò tempore meditatio ab omnibus observetur; ità & patet, quòd tu, si ingenuum te vis exhibere Societatis filium, singulare solatium illis constanter adferre debeas, tum accuratâ præscripto tempore meditationis observatione; tum non extortâ, sed spontaneâ indicatione defectûs commissi, & simul temporis, quo meditationem habueris, aut habiturus sis; si fortè somnus vel oscitantia, aut etiam superveniens imbecillitas aliqua te horâ meditationis consuetâ impedivit. 3tiò, sive te indies ad id constitutus, sive Superior visitet; eum tanquam Angelum Tutelarem venerare, cui in agone cum intimo animæ tuæ solatio dicere possis: *Visitatio tua custodivit spiritum meum, Job. 10.* eò quòd hoc subsidio unita manserit æternæ prædestinationis catena, quæ per neglectum puncti in spiritualibus præcipui facillè dissolvitur.

§. II.

Observanda pro studiis.

Dicatur præviè oratio: *DEUS, qui corda fidelium S. Spiritûs illustratione Sc.* vel pro varietate: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis [Confratribus meis, ut æquè ac illi in scientiis vocationi*

De operibus quotidianis. 9

tionem meam conformibus proficere possim) quoniam servus tuus sum ego, nec quaero per studia aliud, quam tuum cum sincera intentione servitium. P. 4. Constit. c. 4. Nam & si quis erit (in scientiis) consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua [timor DEI, humilitas, sincera intentio] in nihilum computabitur; mitte illam de caelis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuae, ut tecum sit, & tecum laboret: ut sciam, quid acceptum sit apud te. Sap. 8.

Sub studio eleva subinde mentem ad DEUM, purifica intentionem, in dubiis ad DEUM cum S. Thoma Aquinate confuge dicere solito, quid quid sciret, se non tam studio suo aut labore peperisse, quam divinitus traditum accepisse, juxta illud: Si Dominus magnus voluerit, spiritum intelligentiam replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiae suae. In oratione confitebitur Domino, & ipse diriget consilium eius, & disciplinam. Eccl. 39. Notandum quoque est, quod ibidem dicatur, aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur: quia pura conscientia de caelo trahit clariorem rerum abstractarum intelligentiam. Studium peractum per manus B. Virginis, Angeli Custodis, & SS. Patronorum tuorum offer sanctissimae & individuae Trinitati, & ad imaginem Crucifixi te convertens dic cum Doctore Angelico: Non aliam, Domine, mercedem peto, nisi te ipsum. & cum juxta Reg. Prov. 1. in rat. stud. Ex primariis Societatis nostrae ministeriis unum sit, omnes disciplinas instituto nostro congruentes ita proximis tradere,

ut inde ad Conditoris ac Redemptoris nostri cognitionem atque amorem excitentur. Ad hunc quoque scopum studia tua colliment.

ANIMADVERSI O II.]

Circa studia.

INter occupationes diurnas prima est exercitium in spiritualibus. 2da in studiis. Virtus enim & scientia duæ illæ alæ sunt, quibus homini Societatis post comparatum ingens animarum lucrum ad Superos evolandum. Quænam hunc in finem discenda sint à Scholastico Societatis, vide P. 4. Constit. c. 5. Q. 12. 15. &c. & ea sanè sunt quamplurima, nec ab ullo, cum ars sit longa, vita brevis, facile possidenda. Et hinc loc. cit. c. 5. §. 2. dicit S. P. N. quòd, qui in omnibus non posset scientiis, curare deberet, ut in aliquâ earum excelleret. Per tò excellere multum innuitur, & multiplex se humiliandi ansa præbetur, maxime, cum vix ullum tam subtile ac vastum sit ingenium, cui in omnibus, vel etiam plerisque ab homine Societatis sciendis, accedente licet impigro & continuo labore, prædicatum *excellentiæ* possis attribuere. Quòd si jam amas turpe otium, conversationes, & confabulationes inutiles, aut etiam inordinata & disparata studia, atque à fine instituti aliena; non mereris epitaphium aliud, quàm *rus iners, & frustra acer.*

Studiositatis virtus, quæ affectum & studium sciendi secundum rationis præscriptum moderatur,

cur,

etur, duplici simul vitio sibi opposito resistit, dum curiositatem, quâ rebus inutilibus, & statui suo non convenientibus quis vacare gestit, refrænât, & negligentiam, quæ est voluntaria omissio discendi ea, quæ vi Professionis suæ scire quis tenetur, eliminat. Porro, quia virtus hæc secundum rationis præscriptum, ut modò dictum est, studia moderatur, unaque virtus alteri contraria esse non potest, hinc nec studium debet esse indiscretum [S.P.N. voluit id per duas horas continuatum distractione aliquâ interpolari] nec ob id negligi vel omitti spirituale exercitium. Quare hæc tria sint tibi totius vitæ tempore inconcussa principia.

1. Desiderio quasi insatiabili flagra scientiam scientiæ vocationi tuæ convenienti adjiciendi; sicut avarus eo flagrat (hâc similitudine uti solebat S.P.N.) nummum nummo stipandi.

2. Juxta consuetum in Societate adagium da primas DEO ac virtuti, secundas valetudini (nam melior est canis vivus leone mortuo, non tamen in sensu eorum, qui desidiâ suam hoc pallio obtegunt) tertias scientiæ. Et sicut indiscretâ sciendi aviditate non sunt enervandæ vires, ita Suarezii Doctoris Eximii exemplum semper præ oculis habe, qui maluit omnem scientiam perdere, quàm vel minimum meditationi ac orationi præscriptæ detrahere.

3. Cùm tam varias requirat S.P.N. loc. cit. scientias in Scholastico. In juventute debes te dare humanioribus ac altioribus studiis, linguis variis, & bonum saltem fundamentum in histo-

ria sacra ac profana ponere, sed illi te postmodum primario ac principaliter, & constanter dare, cujus scientiam fundamentalem requirit assignatum tibi officium, ne postmodum, dum ab uno transilis ad aliud, verificetur in te tritum illud: *Qui duos insequitur lepores, neutrum capit,* & sic sæpè obest æquè pluralitas talentorum ac studiorum, quàm desidia.

§. III.

*Recitatio Horarum, Oratio ante negotia,
Lectio Libri spiritualis.*

Ante Horas.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum, intende voci orationis meae, Rex meus & DEUS meus. Pl. 5. In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo super misericordiam tuam, & veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum. Pl. 137. Vespere, & manè, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudies vocem meam. Pl. 54. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, juxta eloquium tuum da mihi intellectum. Pl. 118.

Post Horas.

DEo nostro sit jucunda decoraque laudatio. Pl. 145. Psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi, ut reddam vota mea de die in diem. Pl. 60. De Horis Canon, vide plura P. 3.

Oratio

Oratio ante negotia.

Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es DEUS Salvator meus, & te sustinui (tuam unicè quærendo gloriam) totâ die. Ps. 24. Respice in servos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum, & sit splendor Domini DEI nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige. Ps. 89. NB. Nominantur hic opera & opus, & hoc est illud, quod propriè est instituti. Quidam, dum in negotio arduo Magnatem alloqui debebat, solebat rogare Angelum suum Custodem, ut cum Angelo Tutelari illius ageret, eique negotia cum Magnate tractanda commendaret.

Lectio Libri spiritualis.

Hæc sive ante, sive post prandium affigenda semel pro semper est certo cuidam tempori, ne per diem ob studia, negotia, conversationes, aliâsque occupationes seu distractiones occurrentes penitus omittatur. S. P. N. inclamat tibi: *Attende lectioni*, 1. Tim. 4. spirituali saltem per quadrantem, & cum libri à viris spiritu DEI plenis conscripti, teste S. Gregor. non sint, nisi epistola quedam omnipotentis DEI ad creaturam, quâ arcana sua revelat, & divinam voluntatem suam aperit. Tu quoque cor tuum plenè aperiens DEO dic ante lectionem: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*, 1. Reg. 3. & post lectionem, veletiam, dum inter legendum notabile quid occurrit, suspirans dic: *Verba,*

A 7 qua

qua locutus es mihi, spiritus & vita sunt. Demum sicut animal mundum & ruminans reflecte, quid exin retinere, quid eodem adhuc die in praxin velis redigere.

§. IV.

Examen ante-merid. generale & particulare.

1. Punct. Solve DEO grates.

Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Ps. 102. Recole beneficia communia omnibus, tibi cum multis, & tibi peculiariter præstita. Gratias age cum applicatione & in unione meritorum Christi, & sanguinis ejus infinitè pretiosi, quem in cruce è vulnere manûs dextræ effudit.

2. Pete lumen.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, prevalui adversus eum. Ps. 12. Obsecro te Domine per sacratissimum sanguinem Filii tui, qui è vulnere sinistrae ejus manûs manavit, fac me agnoscere & detestari peccata mea.

3. Discute mentem.

Proba me Domine, & scito cor meum, interrogame, & cognosce semitas meas, & vide, si via iniquitatis in me est, & deduc me in via eterna. Ps. 138. Post examinatos defectus dic: *Nonne DEUS requiret ista? ipse enim novit abscon-*

scan-

*Secundita cordis. Pl. 43. Perte, ut sanguis Christi
è vulnere sinistri pedis profluens deleat vestigia,
quibus ab ejus semita deflexisti.*

4. *Delicti veniam posce.*

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. Pl. 24. *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis [elice attritionem & contritionem] rugiebam à gemitu cordis mei. Pl. 37. Vide humilitatem & laborem meum, & dimitte universa delicta mea. Pl. 24. Per vulnus sacrum pedis dextri Domine JESU respice in me, & miserere mei. Dic animæ meæ: Remittuntur tibi peccata tua.*

5. *Malumque fuge.*

Impulsus (subitâ commotione hujus, illius Passionis) *eversus sum, ut caderem [in hunc, illum defectum] & Dominus suscepit me. Pl. 17. Ero immaculatus cum eo, & observabo me ab iniquitate mea. Pl. 17. Hoc, illud, in quod sæpius lapsus sum, præcavendo, ut autem fontem obstruam. Persequar inimicos meos (hanc, illam passionem prædominantem erroris frequentioris causam) & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant. Pl. 77.*

Ipse DEUS Salvator meus, Susceptor meus, non movebor amplius. Pl. 61.



EXAMEN PARTICULARE

SIve bis, five semel de die fiat, ut non omittatur, securissimum est, ut immediatè post examen generale fiat, porro quomodo cum majori fructu & efficacia id indies faciendum sit, docet sequens

ANIMADVERSIO III.

Circa examen particulare.

SI externus plura per S. P. Nostrum beneficia, corpus & animam quod attinet, à DEO impetret, quàm unus ex Nostris; signum est, quòd majorem etiam præ illo erga Sanctum venerationem habeat & confidentiam, si magis in virtute ac perfectione proficiat; signum quoque est, quòd, mediis à S. P. Nostro hunc in finem suggestis, utatur diligentius. Sæpè inquirimus in media ad perfectionem consequendam aptiora, si practici magis volumus esse, quàm speculativi; nullum adeò divinum inveniemus, & experiemur esse ad eam adipiscendam medium, quàm usum debitum examinis particularis, à S. P. Nostro in orbem introducti. Et sanè, si inveterati peccato es, eo medio indies constanter adhibito, in viros omninò alios paulatim transmutati sunt; an non tu faciliè ea, quæ tibi restant in ordine ad perfectionem, impedimenta, eodem tollere poteris? Securis ergo ponatur ad radicem v. g. Materiam examinis particularis pro singulis mensibus desume ex recollectione, quam

quam sub finem mensis institues de confessionibus eo mense peractis. Sicut ad sanitatem corporis plurimum conducit, si medicus ægroti temperamentum bene cognoscat: ita ad perfectionem, si tu te ipsum probe noveris, & advertas, quæ passio adhuc prædominans sit, quæ origo horum, illorum defectuum, in cujus virtutis exercitio sis infirmior, dum moneris, corrigeris ab alio ratione hujus, illius nævi: facile se amor proprius insinuat, infatuat, & vel negat eum, vel minuit, docetque saltem ex parte, si non ex toto, stare jus à te. Dum confessione peccata expias, ita te accusas, ac in agone accusares, nil omittendo, palliando, vel excusando, reflectens ergò morosè sub finem cujuslibet mensis, dum ad novam te confessionem præparas, super ea, quorum elapso jam mense te in sacro tribunali reum proclamasti, incipis te ipsum penitiùs introspicere, & ex eo, cujus te crebriùs accusare debuisti, colligis; hanc, illam passionem fontem esse crebrioris lapsus, hanc, illam virtutem adhuc maximè tibi deesse. Ergò uno mense insequente institue examen particulare in via purgativa de hac, illa passione magis edomanda, altero in via illuminativa de hac, illa virtute acquirenda, magisque solidanda: & quod vesperi, examine particulari factò, circa hunc, illum defectum tibi proponis, altero mane post meditationem (percuttendo occasiones & circumstantias, in quibus lapsus es, & quibus denuò labi posses) renova, & sic certius veterem hominem destrues determinato eum

cum ictu impetendo, quàm si examen tuum particulare sit quasi individuum vagum, & ictu incerto mox in hoc, mox in illud feratur, absque eo, quòd teipsum noscas, & quid tibi desit, scias. Hoc sensu inter septem Sapientum dicta inferi meretur vulgatum illud: *Nosce teipsum.* Hic scopus erat S. P. Nostri, dum mœdum docuit per examen particulare pravas consuetudines, passiones, vitia extirpandi, virtutes implantandi, ad perfectionem, unionem cum DEO, & faustum illud prædestinationis æternæ omen perveniendi: ut scilicet victor tuâ ipsius pace internâ. ac plenâ animi tranquillitate in hac miseriarum valle potiaris.

§. V.

Prandium, Cœna.

Dato ad id signo, animum in cœlum ad providum ac benignum illum Patrem-familias leva, & inter eundem dic: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno* [statutâ horâ apud Religiosos] *aperis tu manum tuam, & implet omne animam benedictione.* Pl. 144. Inter orandum sub initium & finem mensæ sis animo recollecto. Et sicut in omni alia, ita & in hac communi oratione non sis taciturnus, sed cum S. P. N. altè & ferventer ora. Benedictio sive oratio olim missa à S. P. N. & à nostris ad mensam, quando non jubetur quis præorare, secretò dici solita erat sequens.

Ante

Ante sumptionem.

Nos & ea, qua sumpturi sumus, benedicat
DEUS Trinus & unus, Pater, & Fi-
lius, & Spiritus S. Pater noster. Ave Maria.

Post sumptionem.

Laus DEO, pax vivis, requies defunctis.
Tu autem Domine miserere nobis, DEO gra-
tias. Kyrie - Christe - Kyrie - Pater noster. DEUS
det Ecclesia sua pacem, nobis & Benefactoribus
vostis suam gratiam, & post mortem vitam eter-
nam.

Beata viscera Mariae Virginis, qua portaverunt
aeterni Patris Filium, Amen.

Affidens mensæ, & circumspiciens ex utra-
que parte, num quid tibi proximè assidentibus
desit. Fac intentionem inter cætera hanc: quia
tu Domine de novo mihi toties quoties præsens
fis, quoties aliquid comedo & bibo; quia & in
hoc ipso es, faciam cum tua gratia, ut hæc tua
quasi aucta in me præsentia non sit tibi fastidio:
omnem guttam sanguinis, quam inde acqui-
ram, tibi, tuo servitio, & salutis animarum de-
voveo.

Varia sunt, quæ tempore mensæ pias possunt
ingerere cogitationes, v. g. dum scutellas, con-
vivas, cibos aspicias; versa animo scutellas mi-
nores tres, & quartam majorem ex vili materia
coctas, & in Sacello Lauretano asservatas, &
qualiter à puero Christus ex iis cum Maria & Jo-
sepho pastus sit, qualiter postmodum accubue-
rit

rit cum Pharisæis, Zachæo, Matthæo, Peccatoribus, Discipulis & Apostolis ante & post Resurrectionem; & præcipuè, quomodo in Cœna ultima cum 12. Apostolis discubuerit, Luc. 22. & accepto pane gratias egerit, eum fregerit, & dederit eis, dicens: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem*; similiter & calicem, dicens: *Hic est Calix novum testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Demum cogita, si in Societate perseveraveris, multaque pro DEI gloria egeris & pertuleris, in te quoque cadere promissionem à Christo in Cœna ultima Apostolis factam: *Vos estis, qui permanistis mecum in tentationibus meis; & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*, Luc. 22. cibum scilicet illum invisibilem, & potum, qui ab hominibus videri non potest. Tob. 22. Suspira, ut omnes assidentes aliquando tecum sint convivæ Christi, & nemo ob defectum vestis nuptialis, gratiæ sanctificantis, vel olei bonorum operum ac meritorum excludatur à nuptiis Agni, item ut de nullo conviva quæri possit Christus: *Ecce manus tradentis me (peccato mortali obstricti) mecum est in mensa*, Luc. 22.

Dum S. Script. aliisque libros spirituales legi audis tempore prandii & cœnæ (ubi NB. Lector mensæ reflectat, & hanc esse unum de die opus, quod perfectè agere debet, legendo distinctè & clarè) cogita verbum DEI, ejusque voluntatis impletionem esse cibum animæ. Dole, quòd

tot gentiles, rudes explanatione verbi divini destituti sint, juxta illud Thren. 3. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis, & altè animo tuo insculptum maneat illud Joan. 4. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus eius.* Dum mensæ ministri cibos afferunt, occurrat illud Matth. 4. *Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Et Matth. 20. *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus, sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et Luc. 22. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui precessor est, sicut ministrator. Nam quis major est? qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*

Dum cibi lautiores aut plures cum potu domi vel foris inferuntur. Cogita illud Ps. 77. *Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit illis in abundantia, renuit consolari anima mea (sensualitati indulgendo in esca & potu) memor fui DEI, & consolatus sum.* Et Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et Luc. 21. *Attendite, ne fortè graventur corda vestra.* Et Eccl. 37. *Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad coleram. Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam.*

Demum, antequam veniam ad observanda
circa

circa

circa temperantiam, inculcate hinc duo debeo: *1^{mo}* debitam erga Fundatores, Benefactores domuum, in quibus degis, gratitudinem, Hinc accurte persolvere debes, quæ circa Sacra, Communiones, vel memoriam habendam promulgantur in triclinio. Dein ad perfectionem illam eniti, quam Fundatores vel Benefactores domuum in hominibus Societatis eorum liberalitate victuris semper fore supposuerunt.

2^{do} inflat subin, sed malè homines etiam humiliori loco natos abundantia rerum in provinciis aut domibus, in quibus degunt, ità ut quasi despiciant Confratres cæteros, quibus curtiore domi supellex, tu econtra in tali casu eo humilior esto in oculis tuis respectu illorum, quia & plùs, quàm tu, sæpè merentur, & plùs te in sæculo reliquerunt.

ANIMADVERSIÒ IV.

Circa Temperantiam.

IN quo ea consistat, & quòd sinè ea impossibile sit, ut Apostolicam vocationem præferens aliquid boni apud proximum operetur, sat superque scitur; si contra eam impingis, signum est, quòd motiva quemlibet honestum, ne dicam, religiosum hominem ad eam incitantia non satis vivaciter tibi ob oculos ponas. Sæpiùs igitur manè, & eo maxime die, quo occasio, temperantiæ limites transgrediendi, subministrari posset: Sequentia perpende & rumina, 1. Quis tibi in inferno, ubi jam dudum
esso

esse debueras, modò cibus esset ex veneno aspidum insanabili? quis potus ex calice furoris Domini? cujus saxe in totam retrò æternitatem non erit exinanita. 2. Quomodo torquenda sit anima in purgatorio ob hanc, illam in cibo potuque sensualitatem, excessum. 3. Quem cibum ac potum habeant, habuerint, & porrò habituri sint tot servi DEI etiam summo loco nati, tot alii te meliores. Filius prodigus verè pœnitens contentus erat pane mercenariorum in domo patris sui, postquam siliquas porcorum, spurcas corporis voluptates fastidierat. Jacob constans DEO obsequium pollicebatur, Gen. 28. si daret panem ad manducandum, & vestem ad induendum. Et tu murmurabis, habens præter panem hæc, illa condimenta? 4. Necessitas comedendi & bibendi onus & tributum est mortali homini impositum, quod scandalum respectu sæcularium? si id aggravari videant à te religioso, etiam cum detrimento sanitatis, quæri scabiosè, sumi inordinatè cum prostitutione famæ propriæ & ordinis, cui mancipatus es, dum externi ex vino liberaliùs, aut per excessum hausto advertunt, te, qui aliàs tam subtiliter disputas, tam nervosè peroras, tanto, ut videtur, zelo pro animarum salute laboras, advertunt, inquam, te bestiarum illarum inclinationi aut vicio affinem esse, quorum sanguinem Noemus primæ à se plantatæ vineæ dicitur affudisse, imò brutis animantibus pejorem esse, quæ tantum cibi potûsque sumunt, ut reficiantur, non opprimantur vires. 5. Religiosus status est portus,

cus,

tus, omnis inquietudinis & curarum expertus, eò per DEI gratiam appulsus deseruisti mundum, idè, ut necesse non sit ratione ventris saginandi, quod gentes inquirunt, cogitare in crastinum, juxta Christi monitum. Dato campanulæ signo, aliorum curâ & labore, inuenis providisse tibi DEUM non tantùm de necessariis, sed & frequenter iis, quæ ad vires magis pro ejus servitio corroborandas, & honestam oblectationem in qualitate & quantitate tali deseruiunt, quali plures in sæculo opulenti non perfruuntur. Et post hæc omnia ulterius semper inquietaberis pro hodie vel cras? aut conquereris hoc, illud tibi denegatum esse? quàm severas à te DEUS rationes exiget? quòd, qui effectum paupertatis, quam spontaneè vovisti DEO, & necessariorum defectum, debebas patienti, æquo, imò & hilari animo perferre; præter necessaria, tam avidè semper superflua, etiam cum sanitatis propria incommodo, appetieris, inordinate sumptis, scèdumque ac turpe Gastrimargiæ vitium adeò cum annis inoleverit: quod jam tum ab annis multis ità debellatum esse debebat ab homine ad perfectionem consequendam obligato, ut nec rigidus Censor quidquam, hoc in genere, inveniret reprehendendum. Humanum est errare, & potest ingenuo ac honesto viro constringere vice unâ, ut sive ob malam stomachi dispositionem, sive aliâ ex causâ potus, etiam non per excessum sumptus, caput turbet; sed sicut diabolicum est in errore aut vitio quocunque perseverare, ità hoc in genere vel maximè, cum

con-

contractus, vitii, intemperantiæ habitus ostendat
 omnis te prorsus ingenuæ honestatis esse obli-
 tum. In omni animadversione conor instillare
 aliquod principium, ad quod, velut normam,
 mores & actiones tuas à juventute in seram sene-
 ctam dirigas, modò arcum nimis altè non ten-
 dam. Ecce tu profiteris vitam Apostolicam, tu
 scis, quòd sinè temperantia nil boni vocationi
 tuæ conformiter effecturus sis apud proximum,
 adeoque malè coram districto Iudice aliquando
 substiturus. Præcellas veritas ista cogitationes
 filiorum DEI ingerere, & ad Sanctorum hoc in
 puncto vestigia sectanda te deberet impellere.
 modò hoc tantùm peto, ut tibi & proximo frugi
 esse possis, & Societati non sis dedecori. In
 cibo potùque ità te moderare, talem cautelam
 adhibe, qualem scis & vides indies ab opulento
 etiam aut nobili sæculari homine prudente adhi-
 beri, cui cordi est illa Eccli. 31. doctrina: *Quàm
 sufficiens est homini erudito vinum exiguum, sono-
 nus sanitatis in homine parco, dormiet usque ma-
 nè, & anima illius cum ipso delectabitur, vinum
 in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem
 ab initio. Exultatio animæ & cordis vinum mode-
 ratè sumptum. Sanitas est anima & corpori mode-
 ratus potus. Amaritudo animæ vinum multum
 potatum.*

Hoc ultimum nimis quàm verum esse expe-
 riuntur, qui protractos in seram noctem amant
 potus, nec debito tempore ad quietem se com-
 ponunt. Sic enim die altero, dum maturè sur-

gendum est, & publicæ actiones obeundæ, malè se dispositos esse animadvertunt.

§. VI.

De opere humili, colloquio, Litanis,

OPUS HUMILE.

Certum est non tam DEUM respicere opus ipsum, quàm quomodo & quâ intentione fiat. Hinc mereri pro æternitate plus potes opere vili ac humili, quàm magno & glorioso, debitis qualitatibus destituto. *In vita meritis præstant adverbia verbis.* Adverbia sunt *bene, ferventer, humiliter, devotè, quomodo* & *quia hoc, illud opus vult DEUS.* Si ad hæc adverbia, v. g. dum lavas scute las, attendis, etiam meritum ex opere humili comparandum non corrumpes inutili, ac regulis non conformi confabulatione. Quidam vir magnus & sanctus ex nostris interrogatus, cur diligentiam tantam adhiberet, ut tersione suâ nitidos orbes redderet; respondit: jam multos effluxisse annos, à quibus opus quodcunque sive magnum, sive parvum purissimâ, quâ posset, intentione per manus B. V. immaculatè conceptæ DEI Matris Divinæ Majestati offerret, adèoque sollicitum se esse, ut minimum etiam opus mutilum, mancum, imperfectum non deveniat ad illas purissimas manus, Ergo & hoc tene pro principio, quod pari modo opus quodcunque humile aut exiguum velis peragere,

COLLO-

COLLOQUIUM.

Ordo diei apud nos præscriptus fert, ut post mensam, salutato Sanctissimo, per quinque circiter horæ quadrantes sit colloquium, quod S. P. Noster instituit, 1^{mò}, ut per ejusmodi honestam distractionem consulatur sanitati, nec statim post mensam spiritus vitales concoctioni ciborum necessarii disturbentur per applicationem ad studia. 2^{dò}, ut unus ab altero, juniores maximè à senioribus multa sæpè terrâ marique expertis, de variis cum proximo ad ejus bonum & Societatis commendationem discurrendis artem addiscant. 3^{tiò}, ut caritas & unio collegarum inter se magis magisque coalescat ac corroboretur; cum enim die toto sive studiis, sive opere manuali, sive sacris aut profanis negotiis aliis vi officiorum suorum omnes occupati invicem conversari non possint; voluit S. P. N. eos post prandium & cœnam indies, dein hebdomadatim vacationum diebus simul convenire, ut mutuo se invicem alloquio recreent, arctiorique fraternæ charitatis vinculo devinciant. Ego omnem virtutem veneror, sed vel maximè illam, quæ vocationi, regulis, præscriptoque diei ordini omnia defert, nec desidero aliam sanctitatem aut perfectionem, quam his conformem; quia tunc certus sum, quòd non meam, sed DEI voluntatem faciam, cui, ut S. P. N. in Aurea de obed. epist. refert, æquè contrairi potest vigilando, quàm dormiendo; si nimirum vigilans ordinem actionum sibi præscriptarum

interturbet. Communia opera facere, communi domus disciplinæ ordinique præscripto ad amissim & vel in minimo se accommodare, & hoc ex sublimi quadam ac purissima intentione facere, quod, quando, quomodo, & quia vult DEUS; hoc enim verò, licet exterius non videatur adeò magnum, viri perfecti est. Hinc, nisi necessaria aut Superiorum iudicio utilior alia te occupatio distineat, singularis es, si à communi te recreationis loco se pares aliis intentus, & adhuc magis reprehendi mereris; si privatim, & cum quibusdam tantum confabulari ames, & non in isto loco, ad quem per Superiores de hyeme ac æstate omnibus conveniendum esse decernitur. Est & in hoc exercitium aliquod perfectionis, ut è triclinio exiens tam diu linguam cohibeas, donec, gressibus aliquot formatis, in loco sis ad confabulandum destinato, licet enim subito tibi aliquid narrandum occurrat, per hoc tamen non rumpentur illa, si id paulisper differas.

Imò praxis & laudabilis consuetudo in Societate obtinuit, ut quis è triclinio ad chorum aut locum, in quo Sanctissimum asservatur, se conferat, & exin ad recreationis communis locum. Coram Sanctissimo præter alios devotionis affectus quisvis petit à DEO gratiam, colloquium ad intentionem S. P. N. ritè transigendi, & ruminat à se in colloquiis observanda.

Quidam proposuit sibi semel pro semper sequentia, eaque sibi crebrò inculcabat. *Primo*, si quid ingeniosi, rari aut faceri indolis talis, quod

quod in conversatione cum proximo ad Dei gloriam servire possit, audiam, id annotabo. 2do, dum in vituperium, aut præjudicium alterius sive exteri, sive confratris contorqueri aliquid potest, ero cautus, *Et custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Ps. 38.* 3to, si ex motu subito quædam effutens delinquam, recolligam me statim dicendo: *Erravi, sicut ovis, quæ perit, quære servum tuum* (gratiâ tuâ eum juva) *quia [animo deliberato] legem tuam non sum oblitus.* 4to, non videbor solus velle loqui, aut Præceptorem aliorum agere, audiam *tacens* discursum alterius, nec præcipiti impetu involabo in verba illius, quid pro quo garriendo reflectens ad tria sequentia S. Scripturæ monita: *Totum spiritum suum profert Stultus* (quod scilicet in hac vel illa materia scit, forti idè catharro sanè impetitus, cùm totum ei cerebrum in linguam decidisse videatur) *sapiens differt Et reservat imposterum.* Prov. 29. *Sicut urbs patens, Et absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Proverb. 25. Tales sunt scioli, jactabundi, loquaces nimium, aut sibi solis sapientes. *Si quis putat se religiosum esse, non refranans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Jac. 1. 5to, urbanitati ac humanitati debitæ, morumque compositioni decoræ studebo, ut eodem postmodum tenore conversari discam cum proximo, & is recolens post alloquium cum eo habitum, tritum illud: *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat, nil in me carpendum inveniat.* 6to,

cum humilitate ac sinceritate debita, sine fuce, jactantia, exaggeratione, adulatione, technis cum collegis agam. 7^{mo} demum ante omnia conabor finem à S. P. N. per colloquia mutua intentum assequi, ut scilicet inter me ac confratres meos caritas & animorum unio magis confortetur. Hinc *non faciam proximo meo malum*, Ps. 14. linguâ mordace, sarcasticâ, imò nec vexam aliquam jocofam cæterâ innocentem prosequar, si eam ab imbecilliore ferri non posse animadvertam. Econtra ad mihi objecta non turbabor, multò magis cavebo acerbam bile insurgente investivam, animo semper volvens unum Apostoli, alterum Bernardi monitum: *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & NB. non nobis placere.* Rom. 5. *Tu neceptâ fortè injuriâ non continuo obliquè referire fratrem responsione festines, sed neque sub specie quasi corripienti verbo acuto & urente transfigere audeas ullatenus animam, pro qua Christus affigi cruci dignatus est. Non grunnire, quasi imprecando, non labiis mussitare, quasi murmurando, non narem contrahere aut cachinnare, quasi subsannando, non frontem rugare, quasi invehendo aut comminando. Sanè commotio tua ibi moriatur, ubi oritur, ut dicere possis & tu cum Propheta: Turbatus sum, & non sum locutus. Ps. 76. Iracundia cœpit in corde, sed exterius per verba non erupit.* S. Bern. serm. 29. in Cant. Hæc observabo, quam diu vivam, nec ullum aliud etiam post facta mea desidero inter fratres habere nomen, quàm hoc: *Bonus collega*, hoc est, sincerus ac paci-

paci-

pacificus, quod majori mihi longè honori duco, quàm splendidos aliorum titulos, & encomia aureis & argenteis laminis incisa, optoque unice, ut cum veritate illum aliàs mihi familiarem versum S. Gregorii in agone possim reperere :

*Nullum turbavi, discordes pacificavi,
Læsus sustinui, nec mihi complacui.*

Ad me magis magisque in his propositis confirmandum, & symbolam meam in id conferendam, ut quilibet experiatur, Societatem à S. Xaverio jure appellatam esse *Sodalitium amoris*. Excitabo me sæpiùs suavitate colloquiorum, quæ inter se in cælo habebunt, qui hac in vita Fratres fuere in Christo, & quibus Christus ipse commilitones suos in æternum recreabit. Hæc est, & fuit praxis cujusdam, ut supra insinuavi. Tu selige, quod libuerit.

Porrò quomodo intelligenda sit regula, quòd colloquiorum materia esse non debeant dissidia ac bella nationum ac Principum, quòdque erga cæteros semper nos bene affectos esse oporteat, patebit ex adferendis animadversione quintâ sequente. Quæ si serventur, fructuosa semper & jucunda erunt colloquia nostra.

§. VII.

LITANIÆ.

Post recreationem pomerid. orantur *Litania Lauretana*, post vespertinam *omnium Sanctorum* in Prov. Rheni infer. ubi iterum signum

perfectionis est, si his juxta ordinem diei præscriptum constanter intersis, easque devotè & animo collecto ores cum cæteris, persuasum tibi habens, quòd oratio à pluribus in Christo sibi devinctis fratribus alacriter & cum fervore fusa cælos penetret. Si enim *exaudita sunt preces eorum* (Saræ & Tobiaë) *in conspectu gloria summi DEI, & missus est Angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatae.* Tob. 3. Cur non & eadem erit ponenda fiducia in precibus, & quidem Ecclesiæ sanctæ DEI communibus (in quibus absque eo meritò magna locatur fiducia) cum fervore à pluribus simul in Christo Fratribus recitatis? tantùm dolendum, si in communi precum istarum recitatione sæpiùs ità fuisti distractus, ut vel ad contentum precum non attendens, vel ne quidem, instar bovis muti, cum aliis oraris. Ad hæc evitanda quidam, dato ad Litanias orandas signo, se paulisper recolligens solebat imaginari sibi, aperiri cælum, DEUM in sede Majestatis suæ considerare, afferri ei ab Angelis *thymiamata, quæ sunt orationes Sanctorum*, & Seniores viginti quatuor *circumamiculos vestimentis albis cum coronis aureis in capite.* Apoc. 3. sive tot Sanctos, quot in Litiis invocantur, & benedictam maxime DEI Matrem assurgere, & DEO commendare præfentes omnes suum patrocinium invocantes. Certè vivax imaginatio devotionem acuet, & multas impedit distractiones. Idem suprà memoratus, revelationem P. Martino Gutierrez factam

etiam recolens, intuebatur se & confratres suos pallio B. V. contextos, flexis sub pallio isto genibus eam invocantes, & quoties ab iis dicitur, *ora pro nobis*, toties beatissimam DEI Matrem eos Filio suo commendare sibi imaginabatur.

Quidam vir insignis à doctrina & virtute in Provincia nostra celebris, morti proximus alteri viro gravi dixit, summo sibi esse solatio, quòd communem diei ordinem præscriptum semper exactè servârit, & ne vel medius ullo die quadrans à multis annis ipsi effluerit, quem non præmeditatè certæ cuidam sibi ab ante præscriptæ occupationi impenderit, & hic immediatè post Litanias medium quadrantem insumebat indies adnotandis vel doctis ac ingeniosis, vel piis, aut etiam jocosis salem sapientiæ admixtum habentibus, quæ vel in lectione ad mensam, vel in recreatione, vel aliàs per diem audierat, legerat, & inde thesaurum non contemnendum in proprium & proximi bonum sibi paulatim comparavit. Jam videamus ulterius, quomodo regula de dissidiis Principum in colloquium non adducendis, & de æquo erga externos,

Patriotas, &c. affectu sit intelligenda, & in praxin deducenda.



§. VIII.

ANIMADVERSIO V.

*Circa affectum erga nationes externas, Principes
bellis implicitos cum brevi-circa affectum
erga carnem & sanguinem
adnotatione.*

Regula, quæ præcipit æquum erga omnes nationes affectum, & quæ vetat bella ac diffidia nationum ac Principum in discursum in colloquiis nostris adduci, meretur explanationem aliquam, ut inde solida deducas principia, quibus à juvenia in senectam innitare, & ista quidem non ità ad litteram accipienda est, quasi de bellis ac diffidiis Principum nullus sit ingerendus sermo, quin potiùs à tempore S. P. N. usus obtinet, ut relationes publicæ in recreatione prælegantur, deque earum argumento debito cum phlegmate discurratur, ut sic juniores à senioribus, qui varias sæpè regiones peragrârunt, notatù digniora addiscant, in Topo-Geographia ac historia proficiant, subque tempore & occasione datâ, suam in enarratione rerum memorabilium symbolam conferre, & salutaria, quæ ex hoc illove eventu se offerent, documenta sæcularibus inculcare possint. Hæc tamen in delicata hac materia sunt tenenda principia.

Primum, quòd felicem armorum successum, omniâque prospera advoveas stirpi Regiæ, aut Principali, in cujus ditione natus es, item ex
eujus

cujus liberalitate munifica exsurrexit Collegium, in quo habitas; hoc Ecclesiæ sanctæ praxi consonum est, quæ orari jubet pro Imperatore, Rege, ut, qui *DEI institutione est Princeps, ejus quoque sis munere potens, & triumphum virtutis excolat.*

2. Ab homine Societatis exigit inculcata toties à S. P. N. gratitudo, ut imprimis indefinenter ac ferventer oret pro Principibus illis, quorum Augustæ stirpes Societati universæ in quatuor orbis partibus, dein pro illis, qui in his, illis regnis, ditionibus, erectis Collegiis, Seminariis huic vel illi Provinciæ benefecerunt.

3. Si tu hosti ejusmodi Principum magis adductus es, atque alios in tuam sententiam pertrahere allaboras, affectum hunc utpote à communi aliorum sensu exorbitantem tibi ut Religioso majorem DEI gloriam, animarum salutem, fidei verò incolumitatem unicè spectanti, id utique dictabit motivum quoddam supernaturale. Sed vide sis, ne in ejusmodi re, aut persuasioni ab aliis tibi impressæ, aut proprio critirio nimis tenaciter inhærens; non enim accepisti à DEO despoticæ dominationis sceptrum in manu tua, ut alios secùs sentientes in hac & quacunq; alia materia Martyres tui privati judicii efficias.

4. Utcunq; hanc, illam partem sustineas [quod ansam præbet, ut advertatur, non unum, sed plures simul esse, & amœnum simul ac doctum, & utile cæteris collegis sit colloquium] cum omni semper reverentia erga coronata Capita ac Principes, cum omni circum-

spectione, sinè clamore, effervescentiâ animi, omniq̃ue damnabili partialitate, tibi loquendum esse scias, ne exin altercationes, animositates orientur, & hoc modo S. P. N. prohibuit bella Principum, dissidia nationum in discursum adduci.

5. Si nova parti, quam tenes, favorabilia statim credis, difficillimè ei contrariantia, non agis prudenter, si parti, cui faves, & à qua jus summum stare putas, fortuna non favet; stultus es, si ideò inquieteris, tristeris aut turberis immodicè, nec à mundo salarium, nec à Deo præmium ideò consecuturus. Unicum verum & solidum doloris in hac vita est objectum, quòd divina Majestas, summum bonum ità indies offendatur, vera Religio per Pseudo-Politicos patiatur, infernus repleatur, Diaboli Evangelium, perversa ratio statûs, sanctis quatuor Evangeliiis prædominetur, & pretiosus Sanguis D. N. J. C. protot hominum myriadibus frustra profusus sit, & tamen in hoc summo tristitiæ puncto vult DEUS omnia moderatè agi, præcùmque remedium adhiberi: & hoc est, quod in hac & omni materia circa animi propensiones unicè urgeo, ut à juventute moderari ac coercere discas inordinatum affectum quemlibet, sic non eris fabulacoram domesticis & externis: saniùs de rebus substratis judicium feres, solidiùs discurre, ab omnibus magis æstimabere, & constanter internâ animi pace ac tranquillitate perfruêris.

Principia

*Principia tenenda erga Concives &
alienigenas.*

Idem obtinebis, si servas alterum, quod regula præcipit, ut scilicet omni te inordinato affectu nationali exuas, qui ad altercationes, similitates, diffidentias, animositates, conspirationes planissimam sternit viam, præcipuis muniis aspergit labem, merita apud Deum multa vel tollit, vel imminuit, & in quacunque florentissima Religione plurima corrumpit. Te in hoc valetudinario decumbere signum est, si à natione alia aversionem sentias, in tuâ tibi purè complacens, si cum indignatione interna, læpè se prodente exteriùs, vituperia patriæ tuæ audias, etiam joco allata: si quod agit patriota, bonum videtur in oculis tuis, non item quod alienigena: si illius, non hujus dicta facta in bonam interpretaris partem: si, dum exterius ob scientiam, virtutem, variâque talenta extollitur, inter tuos patriotas statim tibi fingas non tantùm æquales, sed & superiores. Si studium tuum sit ad ulteriora eos promovere, non alios: si tibi in patria tua habitanti alius ibidem sit nimius aut exosus: si post varia alibi gesta, obitâque munera inquietus es, donec redeas ad locum nativitatis tuæ: si misera nationalia principia tua, dum senior jam unum pedem quasi in sepulchro tenes, adhuc junioribus inspiras, & sic per te non stat, quò minùs pestis illa nova semper capiat incrementa.

Frustrà omnimodam erga nationes omnes indifferentiam, & impartialem erga quemlibet affectum profiteris exterius, si reapse coram Deo non habes: utcunque enim os, manus, oculos, gestus, mores in plicas artificiosè componas, erumpet tandem cum tuì confusione, & conceptuum tuorum explosione sinister affectus tuus, non secùs ac sutori latens in sacculo subula. Et ratio in propatulo est: quia morbo tali affectus [utcunque astutus tibi esse videaris & circumspèctus, benevolùmque animum, obsequiàque tua addicas aliis] reipsâ nec es prudens, nec sincerus, & ut finem intentum assequaris; technis & artificiis uti debes. Frustrà autem jacitur rete ante oculos pennatorum, & qui simplices sunt hoc sensu, quòd malint decipi, quàm decipere: idè non sunt hebetes, pluràque sagacitate penetrant, ac tu putas, sicque tandem post multa speciosè gesta omnis erga te æstimatio naufragium patitur. Examina te super jam dicta, impende conatum omnem, ut in juventute lolia sinistri & immoderati nationalis spiritûs eradicet, ejusque signa modò à me collata in te non appareant. Hoc ratio primùm, dein vocatio tua, demum amor & gratitudo religioni, cui mancipatus es, debita à te exigunt.

Doctrinâ & scientiâ variâ cùm excultus sis, argumenta à ratione petita se tibi ultrò offerent plurima. Ego hoc solùm ingero, peregrinum generosum vinum non tantùm tibi præplacet, si in tua patria vites lacrymentur acetum, sed & bos, porcus, & asinus, si melior sit, quàm indige-

digena: cur ergo non homo, & quidem vinculo fraternitatis tibi in Christo JESU adstrictus? si melior quoque quoad genium, virtutem, scientiam, cæteraque animæ ornamenta sit, ac patriora tuus, sicut hoc subito exploratum habere non potes, ita nec subito quædam animi aversio te debet in transversum rapere ab hoc, illo collegâ, eò quod non sit concivis tuus. Vulgare est proverbium Germanis: si canem transilis, facile & caudam superabis, amorem inordinatum erga carnem & sanguinem (qui magis naturæ impressus est, & difficiliorem luctam causat) domare potuisti parens vocanti DEO, juxta illud Gen. 12. *Egredere de domo tua, & de cognatione tua*, cur non & posses inordinatum erga patrias affectum exuere?

Jam institutum & vocationem tuam, ô homo Societatis, & hoc, quod eidem debes, quod attinet; quomodo, obsecro, possibile est, ut luem hanc venenatam non excutias? non vocavit te DEUS ad cœnobium aliquod, quod peregrinis, per capitulare placitum oclusum, solis patet indigenis, cujus Superior, cæterique Officiales & incolæ nil viderunt, nisi quod sub suo horizonte est, nec rapas aut olera alibi putant esse tam sapida. Domus, quas in quatuor orbis partibus habet Societas, Principum ac piorum hominum liberalitate fundatæ sunt etiam pro te: non in quantum hujus vel illius nationis es, sed in quantum è Societate JESU es, & sicut cum tuis tu nihil ad hæc omnia contribuisti, ita nec, utcunque inordinato distraharis affectu, ex his omnibus

bus

bus vel pugillum glebæ tuæ patriæ adjicere, aut alteri demere, aut etiam aliò missus tecum asportare poteris. Sicut mortalis vita tibi nec unum spondere potest certum diem, ità institutum tuum nec unum certum locum. Unum V. S. Xaverium Indiarum Apostolum, nisi mors prævenisset, ex Indiis conjecisset in Europam, & tu hodie hîc, cras alibi eris, & ubicunque vitæ tuæ tempus transiges, non tantum non de longa in uno loco mora securus eris; sed & in quolibet à Præposito Societatis assignari tibi poterunt Superiores & collegæ ex longè remotis terris, & quatuor orbis partibus. Quid hæc omnia inclamant aliud, quàm quòd tibi omnis, & nulla terra sit patria? Sed amor erga patriam, dicis, honestus tamen est, à natura inditus, ab antiquitate, sacris paginis, & SS. PP. laudatus, imò verò, si intrà limites à ratione ac virtute præscriptos maneat, si, dum confidentiùs agis cum patriota, quàm alio, id nec oriatur ex aversione erga hunc, nec cæco affectu erga illum, sed quia illius, non hujus indolem ac virtutem nôsti juxta tritum illud: *Fide, sed cui, vide.* Hîc solùm ago de inordinato & noxio nationali spiritu, qui diffidentias parit, in tectas conspirationes abit, & Societatis fundamentum; quod est genuina tot inter nationes unio, posset subvertere, & gloriam à Majoribus nostris partam, primævumque spiritum corrumpere, quem adhuc cum omnium malè volentium stupore ac confusione, & summo nobis benevolentium gaudio vigere dicebat PP. Congregatis summus

Pon-

Pontifex anno 1730. dum ex tot nationibus
Congregati seposito omni erga nationes suas af-
fectu, & nil nisi commune bonum spectantes,
primo in scrutinio secretis suffragiis unanimiter
Caput elegerunt Societatis, & inter Gallos, Hi-
spanos, Italos, Lusitanos, Americanos, Po-
lonos, Belgas, Germanos verè fuit cor unum
& anima una, & hanc ob causam Societatem
idem summus Pontifex murum Ecclesie firmissi-
mum appellabat. Hæc ipsa Societas mater no-
stra, cum castrorum suorum aciem velit semper
bene ordinatam, & sinè ullo hiatu coadunatam,
inclamat cuique indies illud Apostoli ad Philip. 2.
*Si qua consolatio, si quod solatium caritatis, si qua
societas spiritû, si qua viscera miserationis, imple-
te gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem
[erga cujuscunque nationis collegas] caritatem
habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil
per contentionem, per privatas amicitias, con-
spirationes, confabulationes in præjudicium
tertii, boni communis aut privati, qualia mon-
stra ab inordinato nationali spiritu solent enasci.*
Ratione affectûs erga carnem & sanguinem hæc
tria solummodò inculco principia. 1^{mò}, sicut
te non debet pudere tuorum, qui tenuioris for-
tunæ sunt, dum tu in autoritate & æstimatio-
ne hominum es, ità vel maximè cavendum, ne
te cum contemptu quasi confratrum tuorum in-
flet tuorum fortuna, nobilitas, honores. 2^{dò},
an, quando, & quomodo tuis salvâ religiosâ
perfectione possis assistere, desuper consule vi-
rum prudentem ac religiosum, & nil fac sinè
scitu

scitu & approbatione tuorum Superiorum, *gr̄io*, ad affectum magis magisque purificandum altè in animum immitte illud S. P. N. monitum, ut scilicet assuescant nostri loquelæ veri Religiosi, mundoque mortui, adeoque non dicant aut cogitent se habere, sed habuisse parentes, fratres, consanguineos. Sicut enim mortuus *corporaliter* affectum erga carnem & sanguinem ampliùs non sentit, ita affectus in civiliter mortuo saltem erit moderatior erga id, quod se habuisse, non autem ampliùs habere se cogitat.

§. IX.

De conversatione cum proximis.

DUm foras itur ad conversandum, fructificandum, mente volvi possunt mox hæc, mox illa ex sequentibus: *Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.* Pl. 142. *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos, ostendat ex bona conversatione operationem suam.* Jacob. 3. *Dominus custodiat introitum & exitum meum ex hoc nunc & usque in seculum.* Psal. 120. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injustitia.* Pl. 118. *Exibit homo (Societatis) ad opus suum [conforme sublimitati vocationis suæ] & ad operationem suam usque ad vesperum.* Pl. 103. Juxta regulas, quæ inutiles, vanas, sensuales, aut temporis fallendi causâ assumptas vetant conversationes. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam mandata tua.* Pl. 118. *Utinam dirigam*

rigantur via mea ad custodiendas justificationes tuas. Ps. 118. Deduc me, Domine, in viam tuam, & ingrediar in veritate tua, latetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Ps. 85. Vera cordis latitudo consistit in eo, quod omni actioni, conversationi conjunctus sit metus filialis erga DEUM. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, juxta iter scandalum posuerunt mihi. Ps. 139. Dum sine socio & teste vitæ eos accessi, vel cum iis egi, NB. quia in hoc libello nil quæro aliud, nisi ut inculcem principia instituto nostro conformia à juvenuta in senectam & mortem usque, in omni opere quotidiano observanda, plurimùmque sæpè temporis conversando cum proximis transigitur; perquam utile judicavi, hinc quoque digressionem aliquam hunc in finem facere.

ANIMADVERSIÒ VI.

Circa conversationem cum proximo.

*C*um occasio se dat, dicebat S. P. N. teste Ribad. L. 1. c. 16. *familiariter, & ex aquo loco discurremus, atque homines ad odium peccatorum, amoremque probitatis hortamur. Et sanè aptissimum ad hoc medium est conversatio, familiarèque cum proximo colloquium, sive id impendatur instruendo fideles ac infideles in rebus ad fidem & animæ salutem pertinentibus, sive consolando afflictos, sive inveteratos peccatores emolliendo, & mortales inimicitias extinguendo, sive incarceratos, & ad mortem damnatos roborando, sive ægris ac moribundis assistendo,*
sive

five per visitationem amicam benevolentiam eorum conciliando, augendo, conservando, per quos multum mali impeditur, multum boni, salusque animarum procurari potest. Totius rei cardo in hoc vertitur, ut per conversationem quamcumque finis à S. P. N. intentus & intendatur, & attingatur. Hinc (dum te domi subinde recolligis, & minimè, ut Cato dicere solebat, otiaris, dum vel maximè otiosus esse videris) morosè rumina observanda circa hæc quinque puncta. 1. Intentionem. 2. Qualitates in conversante requisitas. 3. Qualitates discursuum. 4. Observanda circa tempus. 5. Circa modum.

Intentio conversantis.

1. **P**ER se patet, quòd cum proximo conversans aliam intentionem habere non debeat, quàm quâ quærit ultimato DEI gloriam, & spirituale bonum proximi. Ut Christus, dum anno ætatis trigesimo cœpit agere cum proximo, circumire civitates & oppida, prædicare regnum DEI in Synagogis & conventibus publicis & privatis domesticos inter parietes; duplicem intentionem hanc indefinenter declaravit his verbis: *Non quero gloriam meam, sed eius, qui misit me. Venit Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat.* Intentio hæc tanquam basis & fundamentum, cui vita Apostolica innitur, à S. P. N. nobis in aureo exercitiorum libro, in binis illis celeberrimis meditationibus de regno Christi, & de duobus vexillis solidè inculcatur,

Hinc

Hinc bene notanda est differentia inter conversationem in genere, & illam, quæ in specie inter ministeria Societatis numeratur. Si vagaris foris, curris à mane ad vesperam per domos, ut tempus fallas, amicos, consanguineos invisas, notitias novas contrahas, hoc vel illud temporale emolumentum capias, nova audias, sensualitati cuicumque demum indulgeas; nec movet te gloria DEI, aut utilitas spiritualis proximi. Conversatio tua sæcularis est, contra regulam & constitutiones peccas, ut invictè probat Suar. Tom. 3. de relig. Tr. 10. L. 9. & tibi melius esset, sociòque tuo, si pretiosum tempus, quod intereà inutiliter elapsum est, domi cum aliquo coronæ cœlestis augmento fuisset impensum. Fuisset etiam melius prospectum temporali emolumento domûs [quod, nisi degener & ingratus esse vis, tibi æquè benè, ac cæteris cordi esse debet] si frater per te inutilibus ejusmodi visitationibus distractus, laborâsset in officina sua, & sanè, successivè & paulatim magnum inde domui causatur damnum. O quàm benè & verè dixit S. Franciscus Borgias, illos juxta mentem Instituti conversari foris, & prout ministeria Societatis exigunt, qui libenter manent domi sive spirituali, aut corporali exercitio, sive studiis occupati. Hi enim, dum quasi inviti exeunt, & etiam urbanitatis causâ, amicos vel consanguineos invisunt, purificant intentionem, & principaliter ac ultimato fructum aliquem spirituales intendunt. Hoc ergo tuum sit à juventute principium, conversatio mea cum proximo nunquam erit alia, quàm quæ

quæ inter ministeria Societatis recenseri meretur. Semper in ore & corde erit illud supra memoratum Pl. 103. *Exibit homo [Societatis] ad opus suum* (conforme sublimitati vocationis suæ) *& ad operationem suam [conversationem, quatenus est ministerium Societatis] usque ad vespertam.*

Qualitates Conversantis.

add. **Q**ualitates, quæ cum fructu conversatorio inesse debent, ad sex circiter capita reducuntur. 1. Debet esse sincerus, apertique pectoris; non tamen abusivè simplex. 2. Ad cuius serviendum promptus; non tamen familiarum certarum mancipium, seu, ut vulgò dici solet, faciendarius. 3. Non tetricus, agrestis, critirii proprii, affectatè, insipidè serius; sed affabilis, humanus, facilis, & intrà limites religiosæ modestiæ hilaris. 4. Solidè doctus, & in vario scibili versatus; non tamen jactabundus. 5. Cordatus ac generosus, non superbus. 6. Non dominativus, impetuosus, impatiens, sed amabilis, patiens, mansuetus. 7. Demum temperans, providus, circumspectus in cibo, potu, discursibus; maximè, dum de Principibus, Magistratibus, Religiosis, & in cuiuscunque proximi præjudicium sermo ingeritur.

Hæ qualitates, in ordine ad bona formanda principia practica, merentur explanationem aliquam.

Expla-

Explanatio puncti 1mi.

TEste Historico Societ. p. 2. l. 6. à n. 47. *Quod in ore formoso est hilaritas, hoc est in virtutis quasi vultu simplicitas; nihil enim ita blandum & amabile, ut candidum & apertum, & cui te securus credas, ingenium: ut nescius cuiquam nocere, & cuius prodesse paratus animus. Sicut econtra, qui sophisticè loquitur [nec sincerus est in agendo loquendo, tot mendaciis aut technis, quot complimentis obnoxius] odibilis est, omnique re fraudabitur (etiam bona, quam intendit) eo quod non sit illi data à Domino gratia. Eccl. 37. Quia abominabile Domino cor pravum, & voluntas eius iniis, qui simpliciter ambulant. Proverb. 11. Et sanè reflexionem meretur, quod Christus, qui in omnibus quatuor Evangeliiis ad eò se mitem ac mansuetum omnis generis peccatoribus exhibuit, ad eò contra hypocritas, & duplicis ac lividi cordis homines detonavit, vocando eos sepulchra dealbata intùs plena serpentibus, filios diaboli, & in uno Matth. 23. cap. Pa illis æternùm octies comminando.*

Dixi, ad qualitatem primam pertinere, ut quis sit *sincerus*, non tamen *abusivè simplex*: nam genuina sinceritas & simplicitas juxta illud Christi: *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columba*, non excludit prudentiam & sagacitatem, quâ quis novit distinguere veros amicos à falsis: nec facilè credit viro aut mulierculæ, qui peregrè venientes, aut id simulantés varia addu-

addu-

adducunt testimonia perillustris suæ stirpis, instructionem pro conversione ad veram fidem postulant, & plus non intendunt, quàm ut à bono ac simplice Sacerdote nummos extorqueant, commendatitias accipiant, & sic unum æquè ac alterum decipiant. Abusivè simplex est, qui à talibus sibi finit imponi, sicut &, cujus improvido, omnia, quæ in buccam veniunt, effutire, & cuncta, quæ ab eo petuntur, in se suscipere solito genio abutuntur astuti sæculares ad hæc illa, quæ domi fiunt, expiscanda, ad hæc illa apud hunc, illum exequenda. Ejusmodi incantationibus, etiamsi liberalis accedat refocillatio, oportet instar aspidis surdæ obturare aures: *Estote prudentes, sicut serpentes.*

Explicatio puncti 2di.

Instituti nostri est, sine cujusquam NB. offensione, quantum fieri potest, omnium in Domino inservire commodis, ait S. P. N. p. 6. Const. c. 3. clausula addita: *Sine cujusquam offensione.* Satis innuit, quòd ea talia esse debeant, quæ bonum spirituale proximi mediatè saltem attingunt, nullique invidiæ, justæ abalienationi, aut crisi hominum prudentum subjacent. Prospicere commodis etiam temporalibus afflictarum familiarum, juvare capaces & bonos homines, ut conformiter statui suo possint vivere, prospicere viduis & pupillis, ut panem habeant, aut ad id perveniant, quod de jure illis debetur, laudabile est, virilèque factum. Sed omnia fieri de
ben

bent *sinè justa NB. cujusquam offensione.* Quòd si jam, ut tibi aut consanguineis tuis peculium compares, aut quia ab his, illis liberaliter habearis, sis familiarum certarum mancipium aut faciendarius, lites dirigis, ad lucrosa honorifica officia hos, illos promoves, artibus tuis & commendationibus, per quas alii viri boni, & sæpè capaciores excluduntur, & posteris suis immortale odium aut abalienationem erga Societatem inspirant; dignus non es togâ, quam gestas, nec consortio tot generosorum hominum: qui, sicut omnia reliquerunt in sæculo, ita sæcularium artificia nolunt reassumere in Religione; sed memores sublimis vocationis suæ, non quærunt placere hominibus etiam primariis, multò minùs in turpi mancipatu iis inservire: sed quærunt, quæ sunt JESU CHRISTI. Quòd mundus opinionibus regatur, & sæpissimè erret, hoc ad vivum experiuntur, & mirantur Superiores, aliique prudentes viri religiosi, quando hunc vel illum confratrem, cujus talenta, doctrinam, imbecillitatem, genium, defectus optimè nôrunt; vident præ aliis æstimari & extolli. Mirari desinunt, quando deregitur, hoc fieri aut factum esse, propter meum & tuum frigidum illud verbum, imò & ipsi sæculares quando votis eorum factum est satis, & demum recogitant corde, hæc, illa degenerare à præcellis cogitationibus filiorum DEI; ejusmodi faciendarios fastidiunt, & despiciunt, quibus usi sunt, non secùs, ac homo indigens igne, quem, si aliter habere non potest, etiam quæ-

rit sub foetente & sordido cinere, quem igne accepto pedibus proculcat.

Explanatio pancti 3ⁱⁱ.

Quia virtutis exercitium, utpote naturali propensione, & corruptæ naturæ contrarium, per se difficile est. Certè id per luridum ac teretricum vultum, iudicii proprii pertinaciam, agrestiores mores, aut insipidam quandam Cantonianam gravitatem, & quidquid affectatum est, non persuadetur, si, sive ratione indolis, sive educationis quoad hæc tibi inest vitium, meretur virtus aut opus bonum, quod alteri vis persuadere; meretur proximi, apud quem vis fructificare, salus, ut tibi per praxin examinis particularis, de quo egi animadversione tertiâ, per humilem defectuum tuorum, qui à Superiore vel bono amico indicantur, agnitionem & emendationem vim inferas, & neutiquam in sensu abundes tuo. Hos defectus si corrigerent, vel iis carerent omnes ii, qui humili loco nati in Ecclesia Dei præfulgent Dignitatibus ac Prælaturis, plus quoque boni apud suos, apud externos proque communi bono efficerent. Illud enim Prov. 26. nimis quàm verum est: *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit insipiens.* Sicut autem nemo major est stultus, quàm qui est, & se talem esse non agnoscit; ita nemo magis agrestis, insipide sapiens, teretricus, invisus, abundans in sensu suo est, quàm qui ejusmodi nævos longiùs à se abesse putat.

rat,

tat, quos alii ad nauseam in ipso deprehendunt. Nec imaginari tibi satis ad vivum potes, quantopere displiceas moderato & cordato viro, si inter disputandum de lana caprina advertat in te idolum criticii proprii. Fel, quod virtuti inesse videtur, amabilis & gratæ conversationis saccharo condiendum est; hinc aliorum iudicio genio te accommodare, urbanus, politus, affabilis, etiam facetus, & in conversatione amœnus esse debes, ita tamen, ut hæ omnes qualitates ab omni furo & vanitate sejunctæ sint, seque contineant intrâ limites religiosæ modestiæ; quæ externa hominis membra, eorûmque compositionem, mores & actiones juxta statûs cujusque decentiam moderatur; & facit 1. ut sit mundities in vestibus, moribus, actionibus, non quæ Aulicisimam aut sæculum sapiat; sed quæ & nesciat agrestem inhumanamque negligentiam, & simul in religiosam cadat gravitatem. *Ornatus & sordes*, ait S. Hieron. *pariter fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Et S. P. N. *Paupertatem semper amavi, sorditiam nunquam.* 2. Religiosa modestia cavet, ut nil affectati sit in moribus, loquelâ, motu membrorum: nam teste Hieron. *nil fucatum placet, motum natura informet, si quid in natura vitii est, industria emendet, ut ars desit, non desit correctio.* Et hinc, cum nemo careat suo nisi, illa laudabilis est amicitia, quam inter se duo trësve colunt, ut unus alteri ex mutua confidentia defectus suos sive à natura educatione ingenitos, sive à consuetudine in actione,

ne, dictione, conversatione contractos aperiat, 3tio demùm modestia providet, ut hilaris gemitus mentisq̄ serenitas ita semper ex vultu, discursu, modoque agendi eluceat, ut simul tamen nulla appareat leporina qualitas, risus immodicus, levitas, aut nimia animi effusio, vel mimicus genius, ne illud Bern. ad Eugenium in te quoque vibrari possit: *Fædè ad cachinnos moveris, fædiùs moves.* Ejusmodi mores non ædificant simpliciores, & sagaciores viròsque graves statim offendunt, sicque perit æstimatiò, sinè qua impossibile est, ut solidi quid conversatione tuâ efficias. Est & istud hoc in genere multiplici probatum experienciâ, quòd vix aliud humanæ mentis vitium minùs ad correctionem sit idoneum, quàm mimici esse genii; & seria in jocos vertere ac pueriles risus. Talis manet *puercentum annorum*, & si ipse ideò vix corrigendus sit, quomodo cum fructu alios in conversatione corriget? nemo enim dat, quod non habet. Prætexunt ejusmodi genii homines, Apostolum ad Philip. 4. iteratò dicere. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Sed advertant ipsum in continenti subjungere: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

Explanatio puncti 4ti.

Quàm divinus conceptus, quàm sancta & salutaria in ordine ad proximum juvandum S. P. N. desideria! ut filii ejus non tantùm fundamentaliter iis sint exculti scientiis, quæ in scho-

scholis addiscuntur. Sed ut etiam in omni scibili versati cum navita de ventis, de tauris cum aratore, de agris cum agricola, de bello cum milite, de mechanicis cum variis opificibus, de historicis cum rerum istarum studiosis; uno verbo de iis, quæ genio, professioni, propensione cujusvis, cum quo agunt, arident, discurrere, & sic paulatim animum ejus lucrari possint. Nam verè homines sæpè animales potiùs sunt, quàm spiritualis capaces ratiocinationis. Hinc necessum est eos escâ, quam appetunt, attrahere, ut ad æternas veritates altiùs in animam immittendas sensim disponantur. Ità Salvator noster discurrendo de aqua cum Samaritana eam paulatim docuit credere in fontem vivum, & promissum in Scripturis Messiam, Ità S. P. N. & ejusdem cum eo Spiritûs S. Xaverius de variis loquendo, quæ iis, quibuscum conversabantur, grata erant; sub finem discursûs reservados æternarum veritatum aculeos infigere solebant, & in hoc sensu intelligendum est illud 2. Cor. 12. *Dolo vos cœpi.* Sed cavendum est, ne omnigenæ, quam possides, scientiæ artique varix ac eloquentiæ conjuncta sit noxia tuî ipsius existimatio. Quæ si foras erumpat in jactantiam, æstimationem minuit, & animum proximi à te abalienat, sicque, quod unâ manu ædificatur, altera destruitur.

* *
*

C 3

Eplica

Explanatio puncti sti.

Meticulosus, pusillanimis, inconstans, sensualis, propriusque inhians commodis non est aptus ad magna: *Qui* quærit ea, *quæ sunt* *7* *ESU* *Christi*, cordatus sit ac generosus, necessum est, quod consistit *primò* in hoc, ut te ipsum non quæras, libertatem Apostolicam non perdas, nec ulli ob munuscula, hos, illos favores obnoxius sis, ne tibi aliquando à supremo Archistratego milites suos coronaturo objici possit. *Recepisti mercedem tuam*, scilicet vilem illam, quam tanquam ignavus Christi miles à mundo hoc experiisti. *2dò*, ut eandem animi magnitudinem & æquabilitatem retineas, sive agas cum benè, sive cum malè erga Societatem affectis, sive amico, sive torvo excipiâre vultu, nec animum ob successum minùs prosperum despondeas, vel ob labores, & occurrentia tædia à bono opere pro gloria DEI & animarum salute inchoato desistas. *3tiò*, ut, dum convitiis, sarcasmis impeteris, nôtis distinguere eos, qui ex malo erga Societatem animo, & qui ex curiositate [ut genium tuum, & à qua parte debilior sis, explorent] varia criminantur. In ejusmodi occasionibus *habeat responsum tuum caput*, *Eccli. 32.* & vide, ut, si quid silentio melius habes, cordatè cum phlegmate in numero, pondere & mensura eloquaris, ità ut juxta *reg. 16. Concion. nec sancta libertatis, nec bonæ de te conceptæ existimationis, quæ ad fructum colligendum*

De operibus quotidianis. § 5

necessaria est, opinionem amittas; & simul tamen juxta reg. 18. religiosam modestiam & humilitatem, cui ex intimo cordis affectu studere debes, in omni actione praeferas. Nam sine demissione animi, ut docet S. P. N. apud Turcelin. L. 4. c. 17. germanaque humilitate non tibi, aliisque prodesse poteris, non DEO carus eris, imò illud (solebat idem S. P. N. dicere) pro certo tenemus, multò magis veram submissionem ad salutem & conversionem animarum valere, quàm humanam auctoritatem vel cum tenuissima ambitionis aut arrogantis suspitione conjunctam. Hinc cui ex splendidis officiis aliquid adheret vanitatis, minùs sapè boni faciet, quàm simplex frater.

Explicatio puncti 6ti.

ANte omnia cave, ne genius quidam dominativus, acer, impetuosus, impatiens, ad invectivas, scommata pronus in te appareat. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina,* ad Tim. 4. ut ille, quibuscum agis, omninò persuasi sint, te nil dicere aut agere, nisi ex vero erga eos amore, & spiritu genuino Christi, qui fulgura & fulmina evocantes è cælo Discipulos increpavit, & hanc perpetuò iis lectionem dedit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quod à DEO est, cum humilitate & obsecratione imperatur: quod autem ex potestate, cum furore & perturbatione, à maligno est, agebat quidam Senex in vit. PP. L. 5. c. 15. & Aug. Tr. 7. in Epist. 1. Joann. c. 3. Semel breve

tibi praeceptum praecipitur: Dilige, & fac, quod vis. Sive taceas, dilectione taceas, sive clames, dilectione clames, sive emendes, dilectione emendes, sive parcas, dilectione parcas; radix sit intus dilectionis: non potest de ista radice non bonum procedere. Alitè in cor immitti à quovis nostrorum meretur, quod Lanc. narrat B. Magdalenas de Pazzis à Deo ostensum esse: se scilicet in Spiritu S. Joan. Evang. & S. P. N. Ignatii mirè sibi complacere, quòd uterque conatus sit per viam amoris homines ad suum ultimum finem perducere, hancque complacentiam sibi toties renovari, quoties S. Ignatii filii eundem modum in convertendis peccatoribus tenent, & observant mansuetudinem in corde, modestiam in lingua, Nec satis exprimi potest, quomodo ejusmodi genio praediti cordibus hominum dominari possint. Hinc, sicut aptissimi sunt ad fructuosè conversandam, ita & ad alios gubernandos. Sicut econtra, qui dominativus est ac praecipuus, utcunque aliàs doctus, ingeniosus, in spiritualibus versatus sit, ad regendum ineptissimus est: & tamen homo talis nescio quam sibi de se ipso sapè ideam format, putat se esse terribilem aliis, magnaque efficere posse; sed alii vel ipsum irrident, vel, si caritate, ut decet, pleni sunt, magnam habent cum Sicophanta compassionem. Interim cogitant illud Isai. 15. 16. *Moab superbus est valde: superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus plus, quam fortitudo ejus.*

Expla-

Explicatio puncti 7mi.

DE temperantia in cibo ac potu vide supra animadversione quartâ, hîc paucis explico, quàm temperans, providus, circumspectus esse debeas in loquela, dum de Principibus, Magistratibus, Religiosis, & in cuiuscunque proximi præjudicium sermo est. Dum aliorum fama arroditur, vel dextrè declina discursum aliò, vel, si hoc non potes, saltem de tuo nihil addas; nam, qui ex præsentibus sagacior est, facilè advertet, te ululare cum lupis, cum quibus esse cupis, & quod in horum vel illorum gratiam loqueris de alio, idem te quoque facturum aliâ occasione de ipsis, adeoque tibi fidendum non esse. Cave etiam, ne quid propales in præjudicium proximi. *Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te fidens, quoniam non te disrumpet.* Eccl. 19. In iis, quæ defendi non possunt, imitare S. P. N. qui teste Ribad. si aliquid ob rei atrocitatem excusare omninò non posset, dicebat: *Nolite judicare ante tempus. DEUS solus intuetur cor; Domino quisque suo stat aut cadit.* Laturus autem gravissimam censuram solebat dicere: *Ego quidem hoc non fecissem.* Jam cum sigillantur Principes, Magnates, Magistratus, cave, ne quid præcipiti impetu effutias: *Diis non detrahes. Aves portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam.* Eccl. 10. scilicet tuam,

C S sen?

sensumque ac dicta tua. Demum, cum astuti
 sæculares sæpè contemptim loquantur de variis
 Religiosis, ad explorandas affectiones aut pas-
 siones tuas, de Confratribus, & omnium alio-
 rum Ordinum Religiosis semper honorificè lo-
 quere [ad quod, non obstantibus discipulis, am-
 plissimam præbet segetem omnium Ordinum à
 DEO institutio, doctissimorum & sanctissimo-
 rum virorum copia, qui usque ad mortem, et-
 iam ultimam sanguinis guttam, pro DEO & Ec-
 clesia insigniter laborârunt] ut sæculares inde
 colligere debeant, quòd *contentiones, emulatio-
 nes, animositates, dissensiones, detractiones, su-
 surrations, inflationes* 2. Cor. 12. nec sint inter
 nos invicem, nec inter nos & quoscunque Reli-
 giosos alios. Si hoc quidam ex ipsis sive ore,
 sive, quod pejus est, calamo non servent: quid
 ad te? ipsi viderint, quibus se peccatis caudatis
 implicent. Convitia convitiis reddere mulie-
 rum lotricum est, & insulsæ plebis, non viri,
 & maximè Religiosi; qui illud S. Bern. in ore &
 corde semper habere debet: *Non veniat anima
 mea in consilium illorum.* Si istam animi mode-
 rationem non habes ab educatione in sæculo,
 ostende te habere ab educatione in Societate,
 quam ab ipsis Novitiatûs primordiis velut notam
 teste Lancic. Societatis characteristicam tibi in-
 culcavit, ut nunquam scilicet contemptim, sed
 semper laudabiliter loquaris de Religiosis aliis,
 qui, licet diversis viis, ad eundem tamen tecum
 vi professionis suæ tendunt terminum, & per-
 fectionem sectantur Evangelicam. Crede mihi,
 ubi

ubi talis te oris ac famæ, virtutis & prudentiæ esse perspexerint sæculares, plurimum apud eos boni efficies. Multiplex id experientia docuit cum magna Societatis commendatione, pro qua si genuinum habes zelum, *vincendo in bono malum*, zelare debes ad exemplum D. N. J. C.

Qualitates discursuum.

3tio. **Q**ualitates discursuum in conversatione cum proximo formandorum breviter perstringo illo Apost. ad Philip. 4. *Quæcumque sunt vera* (non exaggeratoria, non adulatoria, aut nimium conniventia, non superstitiosa, & fabulis proxima) *quæcumque pudica* [non infulsi aut scurriles joci aut nugæ, nam nugæ sæculares, teste S. Bern. in ore Religiosi sunt blasphemix] *quæcumque justa* [juxta sanam ac solidam doctrinam, nec in præjudicium tertii] *quæcumque sancta* [ex Scripturis, Ascetis desumpta] *quæcumque amabilia.* Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. *Si usus*, ait magnus ille Basilius, *inciderit aliquando, ut sermone ad hilaritatem excitemur, danda omninò opera est, ut spiritali lepore referta sit oratio nostra, & Evangelico sale condita, ut recte, qua interius sit, sapientia gratum foràs odorem aspiret, dupliciterque Auditorem & animi relaxatione, & intelligentia festivitate delectet*] *quæcumque bona fama, si qua virtus, si qua laus disciplina* [ex omnigenæ scientiæ ac virtutis armamentario deprompta, quæ Societatem commendant, & ad majorem DEI

gloriam, ac proximorum salutem propagandam deserviunt] *Hæc cogitate & tractate.* Usque huc aureum Apostoli monitum. Cui subnecto ea, quæ ad instructionem nostram in ordine ad discursum cum proximo, narrat Ribad. de S. P. N. in ejus vita: *Sententiarum erat gravitate plenus, non verborum copiâ, & simplex potius videbatur narratio, quàm amplificatio ac contentio, quæ pondus habebant; iis multùm inhærebat. Tanta erat in sermone ejus gravitas ac efficacia, ut non tam humana, quàm divina haberetur. Pervicaces ac ferreos ita paulatim suo faciebat obedientes imperio, ut ipsi se, suamque mutationem sæpè mirarentur.*

Tempus conversationis Apostolica.

4^{to}. **C**irca tempus alloquiorum & visitationum sunt observanda tria.

Primò, Visitationes non debent esse nimis frequentes, nec nimium protrahi; nam juxta Greg. Quò quis amplius in secreto contemplationis latuit, verbi divini thesauros ad eos, qui se expectant, ditiores trahit. Justò crebrius excurrens meritò judicatur temporis fallendi, aut alterius sensualitatis gratiâ id facere; maximè, si socium confidentem quærat. Non tantùm falluntur sæculares, si eos cæteris meliores judicent, quibus pedes continuò ad excurrendum pruriunt; sed & ipsi, dum magis magisque eos incipiunt nôsse, errorem suum corrigunt, & sic ex frequentibus alloquiis non aliud reportas præmium,

mium, quàm jacturam aut diminutionem auctoritatis & famæ, quam aliàs habebas; præterquam quòd per nimias excursions tuas lociis crees tædium, & si coadjutores temporales sunt, domui damnum, si scholastici, iis quoad profectum in studiis noceas. Quòd si jam prætereà nimis diu, sive foris, sive domi ad portam, colloquium protrahas: sæpè cum sene illo Eremicola ingeminare debebis: *Quoties inter homines fui, minor redii.* Excident etiam subinde verba improvida, vel saltem nullius ponderis; advertentur mores minùs decentes, aut alii defectus, & quanquam discretio dicet ac prudentia, quòd alloquium protrahi debeat cum scrupulosis, pusillanimibus, vario agitatæ phantasmate, aut alias ob causas longiori instructione indigentibus, maximè mulieribus. Negari tamen non potest, quòd illarum multæ à laudabili Majorum consuetudine deflexerint. Olim DEO devotæ animæ singulis mensibus instructionem aut documentum quoddam circa progressum in virtutibus à Confessariis suis expetebant, & huic domi se continentibus insistebant. *Orationi, juxta S. Hieronymi monitum, succedebat lectio, lectioni opus manuale, & sic dies unus excipiebat alterum.* Hæ magnæ fuerunt plurium Collegiorum Benefactrices: *Circumornata, ut similitudo templi, promptuaria eorum plena, filia Regum in honore, filia Tyri in muneribus.* Jam nullo nec spiritali, nec temporali emolumento habentur subinde crebriora & protractiora colloquia cum magna pretiosi temporis jactura.

Diceres modernas præ præcis perfectiores esse, quia hæc unâ in hebdomade Communionem contentæ erant; istæ ferè indies confiteri, communicare, & præterea alloquio, si Superis placeat, spirituali quotidie cibari volunt. Sed ut ad fundum veniatur, quæro, an minùs etiam capitis sui, his, illis passionibus obnoxia sint? *Quàm multa facis illita, qua luce purgentur Christe tuâ!* P. Mutius ingenioso sarcasmo litteris olim Româ datis perstrinxit illos, qui magna excelsoque instituto suo conformia perpetrâsse se autumant, si horas multas in alloquio scæminarum sive domi, sive foris insumant, & in memoriam refricat illud S. P. N. dictum, magis scilicet te pro gloria DEI & animatum salute laborâsse, si unum virum, qui familiam exinde suam in timore Domini educabit, convertas, quàm si viginti mulierculis de die in diem devotiunculas, & spiritualia documenta communices. Ad hæc in protractiore colloquio non semper oratur rosarium, hoc est, è penu spirituali non semper materia discursuum depromitur. Nunquid intercurrunt subinde saltem ad profectum in spiritu non contribuentia? Vir es, & non mulier operarie Societatis JESU, & ut ostendas naturam in te non errâsse, virilis animus induendus est. Quodd si jam protrahere discursum debes cum scæminis, quia narrant tibi revelationes, imaginarias visiones suas, & quodd v. g. sub certis conditionibus redimere possint animas ex purgatorio, hæc, illa velit fieri Deus, hæc, illa ipsæ vel in corpore, vel in anima patian-

tian-

riantur. Si prætereà aliæ morbum caducum, circumfessionem, infessionem, obfessionem à Dæmone simulare, aut fingere possint, & tu in ejusmodi labyrinthum inconsulto ac protracto sæpiùs colloquio & visitatione te induci sinas; Jam te DEUS adjuvet, & sanctum ejus Evangelium. Superi! quot fraudes ac imposturas contigisse scimus! quæ retia tenduntur ad Confessarium decipiendum, aut etiam ad pervertendum explicato in confessione vel alloquio tentationum carnalium modo à muliere impudica, cui ad turpiae ejusmodi vivaciùs phantasiæ imprimenda malitia acuit ingenium. Hæc nemo meliùs capiet, quàm is, qui multa scit experienciã sive propriã, sive aliorum, cum quibus ex officio agere debuit, juniores & inexperti nondum apertum habent oculum S. Antonii, quo vidit retia tot tendi ab illo, qui fuit nequam & latro animarum ab initio, ut vix ex iis se quis extricare possit. Sed macte animo! his non irretitur, qui domi solidè occupatus, & spiritualia non negligens, nec crebriora, nec protractiora amat colloquia, quàm vi regulæ fas est, qui sanæ Theologiæ, totièsque iteratis Superiorum ordinationibus in impresso ac scripto datis, & cum primis prudentissimæ juxta ac sanctissimæ voluntati S. P. N. Ignatii morem gerit de cauta cum socio ac teste vitæ, quantum possibile est, cum sequiore sexu conversatione. Juvat hinc reflectere, quod idem Sanctus occasione, quâ post longum cum devota fœmina colloquium ad cubiculum redux exiguum temporis
per

per multas horas impensi fructum animadvertit, commotus quoque fuerit ad lege stabili præcavendum: ne Societas Ordinis sui religiosas haberet, aut etiam aliarum Monialium spirituales curam ex introducta aliqua consuetudine, obligatione, vel quasi ex officio in se susciperet. *Hec meditare, & in his esto, ut, cum omnia caritatis obsequia omnibus & singulis utriusque sexûs præstare non possis, ea facias, quæ menti S. Fundatoris, & instituto tuo maximè sunt conformia, & hoc tuum inconcussum sit & maneat principium (O quis mihi det, ut sermones mei scribantur stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice)* ut nullam aliam sub quocunque demum proximum juvandi prætextu perfectionem, quam, quæ ejusmodi est, confecteris. Demum hâc occasione simul noto, quod in iis, quæ lemures, præstigia, veneficia, artes magicas, homines à dæmonibus obsessos, &c. concernunt, cautè quoque, providè, & ex consilio prudentiorum, imò nonnisi ductu obedientiæ, vel expresso etiam Superiorum mandato agendum sit. S. Borgias rescripsit olim Româ, nostræ vocationis esse, ut diabolum ex animabus non corporibus expellamus.

2dò. Opportuno tempore visitationes institui debent, maximè si seria & talia tractanda habes, à quibus ingens spirituale dependet emolumentum, & idè præviè, quodnam opportunius sit tempus, explorandum, quale non est, dum quasi cæcè & inconsultò domum intras, ejusque Dominus in gravi perturbatione vel labore,
aut

aut studio multiplici, vel in grato est amicorum consortio, quos ad festiva secum gaudia, aut ludos domi celebrandos invitavit, à quibus non nisi cum violentia & indignatione abstrahitur. S. P. N. cum teste Ribad. Principem aliquando virum accedere vellet, ejusque conveniendi copia opportuna non fieret, 24. horas jejunus expectavit, ut bene gerendæ rei occasionem commodam, & opportunum allocutioni tempus obtineret.

3tio. Qui necdum scientiis requisitis ac virtute velut alis instructi ante tempus & maturè nimis evolant, amantque conversationes nondum aut vix Sacerdotio initiati, sæpè pascuntur vanâ gloriâ, & applausu hominum, citò effundunt spiritum, quem collegerunt, assuescunt negligere ea, quæ ex regula, ordinèque diei præscripto agere deberent, imò sæculares paulatim mores induunt, constatque experientiâ multiplici, excursionses istas præmaturas nobili fine non coronari. S. P. N. dicebat, Scholasticos nostros, quamdiu in studiis exercentur, & necdum tertiæ probationis annum egressi sunt, adhuc quasi in hybernis delitescere, in quibus arma parare, ac polire debeant, modumque pugnandi addiscere, ut postea in campum prodire, dæmonisque exercitum feliciter profligare possint. Stupendum, quòd Dux noster JESUS Christus triginta tantum tribus annis in mundo, quâ promissus Messias, victurus, licèt infinito zelo divinæ gloriæ, & animarum salutis propagandæ æstuans, licèt infinite sanctus, sapiens, omniscius,

scius,

scius, adedque nullâ in his omnibus præpara-
 tione indigens; trigesimo tamen prius ætatis sue
 anno, & quidem præmisso quadraginta die-
 rum jejunio ac recollectione in publicum pro-
 dierit, in viam salutis, prædicando, catechizando,
 homines perducturus, hosque ipsos labores re-
 collectione quasi aliquâ, segregando se à tur-
 bis, orando in monte, interpolârit. Quid hæc
 designant, quid inclamant, quid ad oculum te
 docent aliud? quàm ut non ante tempus ab In-
 stituto tibi præfixum, nec nisi divite penu à
 scientia & virtute instructus, conversando cum
 hominibus, Operarium agas Apostolicum, la-
 boribusque his, illis Apostolicis peractis, fre-
 quenter te per orationem, tuique ipsius [ubi
 errâris, quid emendandum habeas] inspectio-
 nem recolligas. Proprium conversationis & la-
 borum Apostolicorum tempus advenit, post-
 quam sat probatus ad vota ultima admissus es,
 Cur, amabo, in ordine ad professionem consue-
 tudo à PP. Generalibus introducta & approbata
 obtinuit, ut expectandus sit trigessimus tertius
 ætatis annus expletus? an ut hominem te esse re-
 colens multis à virtute ac scientia subsidiis indi-
 gum, tribus saltem ætatis annis seriùs in cam-
 pum prodeas, quàm Archistrategus & Dux
 compagiæ vel cohortis, cui trans-
 scriptures?



Modus in conversatione tenendus.

5to. **M**odum conversationis Apostolicæ quod
 attrinet, observandum imò, ut, dum
 aliorum spirituale bonum conversando promo-
 ves, nil de intrinseco fervore amoris divini, &
 studio perfectionis propriæ perdas. Hinc S. Ber-
 nard. L. I. Confid. c. 5. Eugenium Papam sic al-
 loquitur: *Si totus vis esse omnium instar illius, qui
 omnibus omnia factus est, laudat humanitatem:
 sed si plena est, quomodo autem plena te excluso?
 Quid tibi prodest juxta verbum Domini, si uni-
 versos lucreris, te unum perdens?* Imò si detri-
 mentum patiâre vel unius gradûs gratiæ sancti-
 ficantis, & huic correspondentis æternæ gloriæ
 quod non potest non fieri, dum totâ die sine ne-
 cessitate excurrendo horas deproperas, tempo-
 re debito non oras, spiritualia negligis, & per
 hoc præterea, ut bene advertit Rodriq. fene-
 stram dæmoni aperis. *Si sapias, pergit S. Bern.
 concham te exhibebis, & non canalem. Hic si qui-
 dem penè simul & recipit & effundit; illa verò, do-
 nec impleatur, expectat, & sic, quod superabun-
 dat, sinè suo damno communicat*] reflecte ad
 eos, qui canali, & qui conchæ tibi videantur
 similes] *prudens caritas affluere consuevit, non
 effluere, ego nullum ad salutem pietatis gradum
 illi gradui anteponendum censeo, quem sapiens Ec-
 cles. 30. posuit, dicens: Miserebere animæ tuæ pla-
 cens DEO. Vos estis lux mundi, sal terra, ait
 Christus Matth. 5. ad viros Apostolicos. Sed qui*
 pri-

primam animæ suæ curam non habet, ejus lumen paulatim obtenebrescit, nec ratem con-
 diendis & extinguendis putoribus peccatorum
 velut salem, teste S. Augustino, Dominus misit.
 2. Non nimis multa assumes, cum, ut bene
 notat S. Greg. *impar inveniatur ad singula, qui
 confusâ mente dividitur ad multa.* Genuinus
 zelus non tam in eo positus est, ut multa com-
 plectatur, quàm ut officium ac ministerium ex-
 actè fiat. 3. Noningere te in officium alterius,
 aut ejus ad te penitentes attrahas, res hæc, et-
 iam inter viros à virtute spectabiles, invidia,
 animositatis mutuae, sensualitatis, & multipli-
 cis infirmitatis fomitem subministrat. 4. Nec
 etiam plus laboris suscipias, quam sanitas cor-
 poris ferre possit. Unus gradus sanitatis cum
 doctrina sufficiente plus prodest operario, quàm
 viginti gradus doctrinæ in corpore debili &
 morbis obnoxio. Eques, qui iter suum felici-
 ter absolvere desiderat, equi sui curam gerere
 cognoscitur. 5. Non nimis præproperè, in-
 ordinatè, aut ex præcipite imperu opera susce-
 pta peragas, sed præviè, præmeditatè omnia
 dispone, & optima ad salutarem finem asse-
 quendum media selige. 6. *Nescit Religio nostra
 personas accipere, nec conditiones hominum, sed
 animos inspicit singulorum.* Qui enim (ut idem
 in c. 1. Malach.) *suscipit eos, qui cum annulis
 aureis ad se veniunt, & pauperes repellit, nomen
 DEI despicit, & panem polluit doctrinarum, &
 in ipsum DEUM contumeliam facit: qui pro
 paupere æquè ac pro divite sanguinem suum fu-*

dit.

dit, *Increpata est superbia nostra, quæ nescit pensare homines propter homines, naturam non aspicit, honorem DEI in hominibus non agnoscit. Ecce, ire non voluit Filius DEI ad filium Reguli, Joan. 4. Et tamen venire paratus est ad salutens servi. Greg. hom. 8. Hinc, si uni plus, quàm alteri impendere se vult operarius, id potiùs faciat parvulis, pauperibus, afflictis, simplicibus, aut inveteratis peccatoribus, quia hi præ cæteris indigent ejus operâ, in eâque nihil splendidæ vanitatis, sinistrae intentionis, aut ob hæc, illa sensualitatis se immiscet, sicque cum Jobo c. 19. dicere poterit cum magno suo solatio in lecto mortuali: *Oculus fui cæco* (pueris, aliisque ignorantibus) *pes claudo* (peccatoribus ob inveterata vitia difficulter in via mandatorum DEI progredientibus) Pater eram pauperum, aliorumque afflictorum. Ubi tamen notandum, quòd Viri Principes & Magnates tam Ecclesiastici, quàm sæculares à prudente operario non sint negligendi; sed eorum benevolentia solidis mediis & alloquiis concilianda; quia hæc majoris præ cæteris est momenti ob rationem boni universalioris, quod inde ad gloriam DEI redundare potest. Hanc praxin S. P. N. & verbo, & exemplo docuit; nam post DEUM Virorum Principum gratiam sibi adjungebat. V. Hist. Societ. P. 1. L. 10. Idem hunc in finem commendabat Societati, magnam adhiberet curam, ut nobiles bene educarentur.*

Quomodo

Quomodo cum sequiori sexu agendum.

Sextò. **D**Emum, sicut in conversatione cum proximo omnibus debitor es, ita juxta Reg. 16. & 17. Sacerd. breviter in sede confessionalis sunt expediendæ fœminæ, nec colloquia cum iis extra confessionem miscenda, nisi de re vel gravissima, vel multum sanè aut necessaria, aut utili ad salutem vel perfectionem, severèque potiùs, quàm familiariter, cum paterna quadam gravitate cum iis agendum, & si confessio in privata domo, necessitatis vel alio titulo, facienda sit, debet sociùs ita esse præsens, ut possit videre, quæ agantur. In Ord. toti Societati comm. c. 1. n. 9. mandatur Provincialibus, ut visitationis tempore specialiter inquirent, num exactè servantur ea, quæ circa fœminarum visitationes præscripta sunt. Adjici hic meretur effatum magni illius Ascetæ P. Alvarez, nimirum quòd si quis ex obedientia infames fœminas accedat, ut illas Christo lucrificiat, cum iis agens mundissimas Angeli adinstar sit habiturus cogitationes. Si ex propria voluntate in cubiculo moretur (multò magis si ex eadem sinè socio ac teste vitæ cum mulieribus conversetur) fœdissimis sæpè sit urendus cogitationibus. Juxta eundem P. Alvarez privatæ etiam & viscosæ amicitie maximè cum mulieribus vitandæ, quæ corda agglutinant, & mœstitiam dum ab invicem disceditur, pariunt. Hinc prudens Confessarius eodem hortante plenam debet

relin-

relinquere libertatem pœnitenti confitendi subinde alteri, imò ostendere, pergratum id sibi esse, imò inculcare ejusmodi bonæ mulierculæ, ut subin confiteatur alteri, ne ipsi nimiùm affixâ eo ad aliam stationem avocato difficultatem quasi insuperabilem misera sentiat alium eligendi Confessarium. Tale debile capitellum, & talis Confessarius vel operarius, qui cordatam istam suis pœnitentibus indifferentiam non conatur instillare, imò & difficulter de loco in locum mobilis est, non secùs ac placenta in lebete adusta, pari apud me passu ambulant, nec ullam solidam ostendunt virtutem. Superi boni! Reges & Principes plenam relinquunt Superioribus nostris libertatem in amovendis, ad hunc, illum locum destinandis subditis suis. Difficultas subinde oritur à devotis scœminis, quæ nemini, quàm huic, isti se confiteri posse velut è tripode pronuntiant, & hæ Magnates aut Ministros Principum quoque invocant, ut minæ augeantur de damno huic, illi Collegio obventuro, nisi hunc, illum Patrem ibidem linquat Provinciæ Præsides. Quò recidimus? S. P. Noster, etiam hac de causa, suos noluit promoveri ad Episcopatus, eò quòd non uni Diœcesi, sed toti mundo debitores facti ibi fructificare debeant, quo ad majorem DEI gloriam, & animarum salutem sancta eos vocat obedientia, & tu in schola virtutis abecedarie ob unam alteramve mulierculam uni loco velut plumbum affixus eris? Hæc faciat mihi DEUS, & hæc addat, ut genuino tandem afflatus spiritu ad Indos & Garamantes abeas,

abeas, aut si sive directè, sive indirectè ejusmodi tumultuum causa es, pro merito plectaris, nec confideas in viridi cespite. Si nolis, ut contra te stet ac maneat præsumptio, sed potiùs pro genuino Societatis filio haberi ames, abeas, quò vocatus es, quâ data porta, sinè valedictionis complimentis apud has, illas, & sicut aliàs debebas pœnitentes tuas instruxisse meliùs, sic saltem jam in obstruendo tumultuum fonte, & debitâ Superioribus obedientiâ exhibitâ te virum præsta. Sæculo valedicens non curasti lachrymas matris tuæ aut sororum, & jam à tot annis in schola virtutis exercitatus pasceris lachrymis muliercularum? imò & in causa eris invidiæ Societati conflandæ, aut damni inferendi, ingratus matris tuæ, quæ lacte doctrinæ ac virtutis tam diu te pavit, cuculus? tu passione præoccupatus audebis conqueri de indiscreto agendi modo Superiorum in te ab hoc, illo loco amovendo? cùm illi, ut honori ac famæ tuæ consulant, justas te amovendi causas sæpè externos celerent, & alias tibi honorificas propalent.

S. P. N. etiam alia de causa viscosam voluit vitari amicitiam cum mulieribus, quæ aut sunt, aut videri volunt vel maximè spirituales, nempe, quia teste Ribad. ex earum consuetudine, vel intimiore quadam confidentia plerumque aut fumus sequitur, aut flamma. *De vestimentis enim procedit tineæ, & à muliere iniquitas viri.* Eccli. 42. Hæc considerans mirari destiti, quod aliàs cum stupore quodam & horrore legeram à magno Magistro P. Alvarez, Patribus tertiæ probationis

tionis fuisse inculcatum, maximam scilicet cautelam, ne intimior cum sceminis spiritualibus coalescat familiaritas, adhibendam esse, eò quòd spiritualis amor sæpè suos transgrediatur limites, & fiat carnalis, quemadmodum optimum vinum in fortissimum convertitur acetum, hocque priùs non adverti idem dicebat Alvarez, quàm dum mutux voluntates ita conjunctæ & agglutinatæ sunt, ut, quamvis illubenter, & cum aliquo sensu doloris, potiùs tamen à DEO, quàm à se invicem discedant & separentur, ne se contristent, judicantes non decere, sibi in illo amore teneroque affectu deesse; & tunc dæmon. accedens, ignemque accendens illos excæcat & illaqueat. Dii cælites præerrent unumquemque à tam subtili, & sensum finè sensu gliscente per viscera peste. Sed & tu cogita illud ad Ephes. 4. *Nolite locum dare diabolo.* Per quæ verba non tantùm vetat Apostolus, ne cor tuum diabolo possidendum tradas; sed vel maximè, ne ipsi accessum pares, negligente sensuum custodiâ, & inutili improvidâ sensuali conversatione. Sanè Eva protractiore cum serpente discursu & oculos in lignum visu pulchrum conjiciendo ex una in aliam sensualitatem prolapsa, in virum & totam retrò pòsteritatem iliadem malorum invexit. Jam quando cogito, quòd primi parentes in gratia sanctificante finè hominis inferioris rebellione creati ceciderint, quia initiis non obstiterunt ad ulteriora inadvertenter mala deducuntibus. Nonne justè inde infero, quòd

D

nemo

nemo satis cautus in conversatione esse possit.

Atque hæc sunt, quæ in animadversione hac quæ in qua, ratione conversationis Apostolicæ in quinque punctis inculcanda esse duxi, ut scilicet hæc ipsa tua conversatio cum proximo, quæ multum sæpè temporis per diem surripit, & succedat bene, & inter ministeria propria Societatis accenseri mereatur. Scio, quòd varia opponi possint, maximè circa qualitates num. 2. à me in homine Apostolico cum proximo conversante requisitas; quia earum multæ tum à temperamento & talentis à DEO datis, tum ab educatione dependent. Interim, quia homo per DEI gratiam se ipsum potest perficere, & tu, ut suppono, iudicas, te verè ad Societatem JESU vocatum esse, adeoque DEUM velle, ut juxta hujus vocationis & professionis tuæ finem plurimum boni facias; etiam dubitare non potes, quin DEUS suâ gratiâ tibi adfuturus sit, dummodo tu ei, & tot ad te perficiendum subministratis in Societate mediis non desis, sed in juventute vis inferenda indomitæ animi motibus, ut fusiùs §. 13. animadv. 7. p. 2. ostendo, S. P. N. sic se vicit, & æstuantem militarem genium nobilissimæ stirpi suæ ingentum adeò frengit, ut aliam quasi naturam exposit induisse visus sit, & ideò medicus purans frigidæ ac melancholici cum esse genii, stragulis & culcitris impositis ægrotantem ferè enecasset. Ignem te habere bonum est, & talis temperamenti homines S. P. N. ad Societatis munia maximè dicebat esse idoneos.

neos, dummodo à juventute eum discas in tua habere potestate. Melancholici esse genii non nocet, dummodò te sat mature discas vincere, & sic in modo agendi eris serias, nec præpropere aut inconsultò quidquam aggredieris, juxta illud: *Sat citò, si sat bene*, & quiscunque demum naturæ defectus sit, aut passio functionibus Apostolicis contraria, saltem tempore tertiæ probationis, annus hic integer in cultura interiori tuâ impendendus est, ut tuâ ipsius dominium acquiras. Porro hoc tuum sit solatium, si difficilioris es genii, aut multa adhuc defectu educationis dedolanda sunt, te decuplo plus mereri, si labore, aut etiam violentiâ adhibitâ te formes in virum perfectum, & ad id fortiter agendum & patiendum te perducas, quod alius serenæ mentis, mansuetus, optimâ educatione excultus, sinè difficultate facit, aut patitur. *Regnum cælorum vim patitur*, & luctamen arduum merentur tot coronæ tibi ex tuâ victoria obventuræ in æternum, maximè cum ex sublimi ipsa intentione vim tibi adhibeas, ut Divinorum omnium Divinissimum agere, & animabus pretioso Christi sanguine redemptis frugi esse possis. Jam quia per diem totum, sive domi, sive foris sis, variæ tentationes sive ab in- sive ab extrinseco occurrere possunt, visum est, amuleta quædam ex S. Script. verbis hic subnectere.

§. X.

Amuleta contra varias per diem tentationes.

Contra respectum humanum.

Dico vobis: Omnis, qui me confessus fuerit coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis suis. Luc. 12. DEUS meus, in te confido, non erubescam, neque irideant me inimici mei; etenim universi, qui sustinent te, non confundentur. Pl. 24. DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam DEUS spreuit eos. Pl. 52. Vota mea Domino reddam (quod obligationis est, faciam) coram omni populo ejus, Pl. 115. sine ullo respectu humano. Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Pl. 118. Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. ad Gal. 1. Mibi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. 1. Cor. 4. Dies pro iudicio sumitur. Sic reis dies dicitur. Alludit hic Apostolus ad Jerem. 17. v. 16. ubi dicitur: *Diem hominis desideravi, Domine tu scis.*

Valde obarmandus est animus contra respectum humanum. Pilatus Christum conservare volens multas cum populo Judaico luctas sustinuerat & superaverat. Sed dum audiret clamantes: *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*, offensam Caesaris timens, CHRISTUM addidit cruci.

Tempore

Tempore tentationis cujuscunque

ERue à framea DEUS animam meam, & de manu canis [aeternalis] unicam meam. Pl. 21. Unicam habes animam semel tantum à corpore separandam. Quo minuto, si est DEI hostis, omnia pro tota aeternitate sunt perdita. Adjutor meus, & Protector meus es tu, DEUS meus ne tardaveris. Pl. 39. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequentibus me, quia confortati sunt super me. Pl. 142. Dic anima mea, salus tua ego sum. Confundantur & revereantur quarentes animam meam, avertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala. Pl. 34. Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitam, quam repromisit Deus diligentibus se. Jacob. 1. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Pl. 142.

Contra tentationes in fide.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, Pl. 118. ob motiva credibilitatis bene penetrata. Fidelis Dominus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Pl. 144. Sicut audivimus in civitate Domini virtutem [in Ecclesia militante tot prodigiis illustratâ] sic vidimus in civitate DEI nostri. Pl. 47. Ità nobis inclamant circa fidem cœli cives ex Ecclesia triumphante.

Contra tentationes circa prædestinationem.

*E*Xistimabam, ut cognoscerem hoc: labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei, Ps. 72. *Expecta Dominum, & custodi viam ejus, & exaltabit te, ut hereditate capias terram.* Ps. 36. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Ps. 26. Suadet Thom. Kemp. ut, dum anxiaris circa prædestinationem, hoc decernas facere, quod velles facere, si scires te esse prædestinatum. Hoc proposito facto, dicit idem, anxio cuidam rediisse tranquillitatem mentis. *Rectus Dominus DEUS noster.* Ps. 91. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.* Psalm. 83. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.* Ps. 23. Similia prædestinationis signa circa simplicitatem cordis, & voluntatem nemini nocendi, enarrat David Ps. 13. & subjungit circa finem: *Qui facit hæc, non movebitur in æternum. Qui ambulat in iustitia, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere. Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem (morem non gerit iis, qui de cæde patranda, pauperibus exsugendis, perversa dant consilia) & claudit oculos suos, ne videat malum [non consentit ulli rei proximo nocivæ, DEO injuriosæ] iste in excelsis habitabit, Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longè.* Psal. 33.

In videndo ac fruendo DEO primaria consistit beatitudo; è cœlo autem terra sive terrena de longè videntur sive despiciuntur.

Præter hæc signa quoque prædestinationis sunt, anhelare ardenter, & crebrò per diem ad fruitionem sanctissimæ Trinitatis velut unicum finem nostrum, tenerùm sentire ac fovere devotionis affectum erga Christum crucifixum, sacra ejus vulnera, & sub speciebus panis ac vini latentem, eumque sæpiùs devotè sumere; dein singulari ac constanti pietate colere Deiparam, & ejus immaculatæ Conceptionis mysterium. Denique condonare ex animo sincero injurias, bonaque pro malis reddere. Per hoc ultimum enim ostendis te adoptivum esse DEI filium genuinum. Sicut Centurio audiens in cruce Christum pro inimicis suis DEUM Patrem interpellantem continuo exclamavit: *Verè* (sive naturalis) *Filius DEI erat iste.*

Pariter in catena prædestinationis tres majores annuli, scilicet *primus*, qui est gratia Baptismi ac veræ fidei: *medius*, qui est gratia vocationis, & *ultimus*, qui est gratia finalis, cæteros, ut non rumpantur, continebunt. Si tu in Societate hæc tria observes, 1. Usus mortificationum, operumque pœnialium, quæ in Novitiatu didicisti. 2. Exercitiorum spiritualium, & maximè meditationis matutinæ, ità quidem, ut, si hæc neglexisti, metus aliquis reverentialis erga DEUM, & sacer erga inscrutabilia ejus judicia horror te statim in viam reducat. 3. Observationem reg. 18. Sacerd. scilicet, ut nunquam

quam, quantum fieri potest, cum femineo maxime sexu agas sine socio ac teste vitæ. In horum trium observatione consistit debita erga divinam Majestatem submissio, & ei annexum est castitatis donum à B. V. Societati nostræ impetratum tanquam bonum prædestinationis signum.

Contra tentationes vana gloria.

Non veniat mihi pes superbia [superbus uno tantam pede stat, & hinc facile cadit] & manus peccatoris non moveat me. Ps. 35. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Ps. 113. Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam. Psalm. 11. Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me [Justus ille est verus amicus, non dissimulans, sed indicans, corrigens defectus meos] oleum autem peccatoris [adulatoris] non impinguet caput meum. Ps. 40. Populum humilem salvam facies, & oculos superborum humiliabis. Ps. 17. Date gloriam DEO, Ps. 67. qui dicit: Gloriam meam non dabo alteri. Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris? quasi non acceperis. 1. Corinth. 4. Si in disput. Conc. discursu titillet te vana gloria, dic cum Bernardo: Propter te non cœpi, propter te non desinam. Verum est, quod oporteat facere verba bona non tantum coram DEO, sed etiam coram hominibus, ut glorificent Patrem, qui in cœlis est, ita tamen, ut opus sit in publico, & intentio maneat in occulto. De bono opere proximi
pra

præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ DEO soli placere quarimus, semper optemus secretum. Greg. hom. 11. in Evang.

Contra tentationes carnales.

Lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in corde meo. Ps. 37. Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt. Ps. 72. In DEO speravi, non timebo, quid faciat mihi caro. Ps. 55. Eripe me de luto, ut non infigar. Ps. 68. Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Ps. 118. Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ps. 48. Et verè, quid est omnis carnalis voluptas? nisi belluina, & brutis communis, quæ, in quantum conjugibus licita est, solo fine Matrimonii velut Sacramenti à Christo instituti coonestatur, ut per propagationem humani generis novis semper impleatur cœlum civibus. Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Psalm. 112. Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat. Indirectè, & statim animum ad alia avocando, securissimè resistitur tentationi carnali.

Quid facies? facies Veneris si veneris ante,
Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

*In tentatione pusillanimitatis, desolationis,
adversitatis, tribulationis.*

SI ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Psal. 22. In Domino sperans non infirmabor. Pl. 25. Ecce DEUS Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo. Cant. 15. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, Domine, quoniam non dereliquisti quarentes te, Domine. Pl. 9. Nec enim in gladio suo possederunt terram (Sancti propriis viribus cœlum) & brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua, & brachium tuum (quod respectu mei nondum decurtatum est) & illuminatio vultus tui (gratia illuminans, excitans) quoniam placuisti in eis. Pl. 43. Ipse Deus meus, & Salutaris meus, & Susceptor meus, non movebor amplius. Pl. 61. Si consurgant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo. Pl. 26. Usque in tempus sustinebit sapiens, & postea redditio jucunditatis. Eccl. 1. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo. Pl. 33. Defecit manna, postquam comederunt de fructibus terra. Jos. 5. Sic dum terrestre quaris solatium, cessat divina unctio. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Psalm. 22. Virgâ castigat DEUS pigros in suo servitio, inobedientes bonis inspirationibus; sed baculo assistentiæ sustentat debilitatum, & humilem factum. Nondum usque ad sanguinem restitistis,
Hebr.

De operibus quotidianis. 83

Hebr. 4. *DEUS modicum passos firmabit, solidabitque, & ipse est merces tua magna nimis.* Gen. 15. *Hunc humiliat, & hunc exultat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinavit ex hoc in hoc; veruntamen fax ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terra.* Ps. 74. *vel in hac vita, ut convertantur, vel postmodum in exterminio. Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* Job. 33. *Tribulatio & angustia invenerunt me. Mandata tua meditatio mea est.* Ps. 18. *De tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me. Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me.* Ps. 117. NB. Totus Psalmus tertius & duodecimus, qui oratur in Matut. Dom. tempore tribulationis servit devotè recitatus. Sicut & Cant. Isaïæ, - quod vide feriâ secundâ ad Laudes. *Momentaneum & leve tribulationis nostra supra modum in sublimitate aeternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 1. Cor. 4. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & susline Dominum.* Ps. 26.

In tentatione contra vocationem.

DE^O *subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea; quia ipse DEUS meus, & Salvator meus [à tot periculis animæ perdendæ me præservans in sæculo] & Adjutor meus (ad Societatem) non emigrabo (transiens à Societate Christi ad societatem diaboli) in DEO Salu-*

*rare meum, & gloria mea (in constanti & fideli
 ejus servitio) DEUS auxilii mei, & spes mea in
 DEO est. Ps. 61. Justificationem meam, quam
 cepi tenere, non deseram, Job. 27. nec aspiciam
 ad aratrum retrò. Fiat manus tua super virum
 dexterae tuae, & super Filium hominis, quem con-
 firmasti tibi, & non discedimus à te. Ps. 79. Ne
 projicias me in tempore senectutis, cum defecerit
 virtus mea, ne derelinquas me. Ps. Sed da fi-
 nale perseverantiam. Sed tu, mi bone homo!
 quando post annos aliquot in vocatione tua va-
 cillas contra illud ad Cor. 7. Unusquisque in vo-
 catione, in qua vocatus est, in eà permaneat. Re-
 cogita, an non hanc ipsam putaveris veram esse
 vocationem tuam? quando DEO toties consul-
 to, hanc illà devotione hunc in finem in saeculo
 institutà, tam humiliter & instanter admissio-
 nem petivisti, quando biennio integro Novitia-
 tûs expleto cum gaudio de vocatione tua nulla-
 tenus ambigens DEO te per vota immolasti.
 Unde jam suboritur tibi dubium subsistens co-
 ram eo? qui non irridetur, & cui displicet infide-
 lis promissio. Eccles. 4. An quia haecenus te ta-
 lem exhibuisti DEO, qualem debebas, & san-
 ctè servasti illud Pauli ad Ephes. 4. Dignè ambu-
 letis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humi-
 litate, mansuetudine, patientiâ. An quia econ-
 tra paulatim similis factus es statuæ Nabuchodo-
 nosoris (cujus caput ex auro, pectus ex argen-
 to, venter ex ære, tibiæ partim ex ferro, par-
 tim ex luto) spiritum ac fervorem primævum
 vanâ sensualique conversatione dissipasti, &*

sem-

semper in deterius transmutasti? passionibus his illis fræna laxasti? spiritualia neglexisti? mundi, non DEI principia imbibisti? ob neglectum regulæ de socio ac teste vitæ in hoc illud lapsus es? aut quia evanescens in cogitationibus tuis talenta tua non satis honorari aut æstimari judicas, & correctionem ferre non potes? Equidem SS. PP. Nostrorum Ignatii & Xaverii regula generalis erat, quòd *Societas elatos sui juris ac sententia homines concoquere non valeat, & hi vicissim se spiritui Societatis accommodare non possint.* Interim (licet tali homini, qualis tu es, Societas prorsus non indigeat, quin potius oneretur) tu vide sis, ne anima tua in æternum pereat, & in extremo die iudicii tibi tuique similibus illud ad Gal. 3. exprobetur: *O insensati! quis vos fascinavit non obedire Veritati? ante quorum oculos JESUS Christus [Dux cohortis, cui eratis inscripti] prescriptus est, in vobis crucifixus. Sic stulti estis [fui] ut, cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? & statum, quem tanquam ad eum vocati tam humiliter & ardentem expetiistis, in quo tot annos transegistis, non ex motivo à DEUM timentibus & prudentibus viris, non à Superioribus vestris approbato, sed vel ex levitate animi, superbiâ, vel proprii iudicii pertinaciâ deserueritis. Potuistis salvari, quod tunc vestrum erat principium, in quocunque statu; jam autem, sed serò nimis, videtis miseri, in quo fuissetis salvati. O mi JESU, adjuro te per quinque sacra vulnera tua, & immaculatè conceptam Virginem Matrem tuam,*

tuam, & quam mihi dedisti in meam, hanc à me averte cæcitatem, ut non sequar desideria carnis, propriam voluntatem, & nec ex superbia, nec etiam ex pusillanimitate [quam diabolus mihi inspirat, quasi sive ex defectu virium, sive talentorum aptus non essem ad munia Societatis] deferam vocationem meam. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee.* Nam teste Bern. de modo bene vivendi cap. 20. *Qui congregationem sanctam relinquunt, à Societate DEI elongantur, atque dominio diaboli subjungantur.*

In tentatione contra acceptam correctionem, obedientiam.

Non declines cor meum in verba malitia ad excusandas excusationes in peccatis. Ps. 140. *Priusquam humiliarer, ego deliqui.* Ps. 118. *Ut jumentum factus sum apud te (& Superiores, tuos Vicarios) & ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua [per Superiores meos] deduxisti me.* Ps. 72. *Disciplina tua correxit me (pro præterito) disciplina tua ipsa me docebit* Ps. 17. pro futuro. *Inobedienti subtrahitur gratia congrua juxta illud Psal. 80. Non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum (non præservando ab occasionibus, in quibus eos lapsuros prævidi) ibunt in adinventionibus suis.* Et quò? ad infernum. *Emphatica est Christi sententia Luc. 10.*

Qui

Qui vos (Superiores) audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit. Demum, dum in æstu es ob hanc vel illam molestiam, mortificationem, humiliationem tibi illatam, vel pœnitentiam injunctam, vel amore proprio occæcatus te nulatenus agnoscis reum? vel bonus ad rationem ac ingenuitatem recursus te facit paulatim agnoscere, quòd hoc illud promeritus sis? Si *ultimum*, placabitur etiam paulatim exulceratus animus. Si *primum*, in tantum te obsecro, vince, ut à consortio aliorum segregatus in cubiculo tuo conjicias oculos in Crucifixum, qui tibi repræsentat JESUM tanta amore tuò, & ob peccata tua innocenter passum, tot Sanctos infinites quasi plura innocenter passos, tot sæculares pluribus, & longè majoribus præ te crucibus obrutos. Move te paulisper, nec sinas purè passionem agere. Deflecte oculos ad infernum, quem toties promeritus es, ad purgatorium, cujus pœnas impatientiâ tuâ horrendum acuis. Attolle mentem in cœlum, quòd hæc, quæ pateris, & infinites plura extra omne dubium promeretur. Hebes es vel brutum, si similia paulatim oculos mentis tibi non aperirent. Dum jam paulatim mens ad saniora reducitur, perpende causas tres, cur correctionem Superiorum æquo animo excipere debeas. *Pri-*ma est mandatum DEI, & potestas illis à DEO data te corrigendi. Visne contra DEUM insurgere? *Secunda* est, quòd fateri debeas, te hominem esse defectibus obnoxium. *Tertia* denique, quòd saltem aliàs, si non jam hæc illa me-

ritus

ricus sis, & in præsentī casu prudentia non fuerit in Superiore, virtus verò in te probari possit.

*In tentatione convitiarum, obreſationum,
persecutionum.*

IN patientia vestra possidebitis animas vestras. Luc. 21. Considerat peccator justum, & querit mortificare eum; Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum, cum judicabitur illi. Pl. 36. Propter te mortificamur tota die, estimati sumus, sicut oves occisionis. Pl. 43. Tu scis improprium meum, & confusionem & irreverentiam meam. Pl. 88. Propter te sustinui opprobrium. Pl. 68. Ibant gaudentes à conspectu Concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Act. 5. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tua letificaverunt animam meam. Pl. 93. Memor esto, Domine, opprobrii servi tui, quod continui in sinu meo. Pl. 88. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os sum. Et factus sum, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: quoniam in te Domine speravi. Pl. 37. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Pl. 38. Desine ab ira, & derelinque furorem; noli amulari, ut maligneris (convitia reddendo convitiis) quoniam, qui malignantur, exterminabuntur; sustinentes autem Dominum ipsi hereditabunt terram. Pl. 36. Suscipiens mansuetos Do-
minus,

minus, humilians autem peccatores, superbos usque ad terram. Ps. 146. Psalmum nonum leges cum consolatione, dum pateris persecutiones.

§. XI.

EXAMEN VESPERTINUM.

POSTquam sub quadrante Canonico sequentis diei meditationem cum Capitulo aliquo ex Thom. Kemp. legisti. Examen vespertinum vel fieri potest, ut pomerid. V. pag. 14. vel pro varietate sequentibus duobus modis institui. Primo per ruminacionem quatuor novissimorum. Secundo per applicationem quinque sensuum.

PRAXIS PRIMA.

Domine JESU Christe Redemptor, Judex, & summum Bonum meum! quia non infernus confitebitur tibi (fructuosè scilicet, & pœnitentia damnatorum de commissis sceleribus in æternum magis magisque cruciabit eos) neque mors [si eò differatur pœnitentia] laudabit te; non expectabunt, qui descendunt in lacum [purgatorium] veritatem tuam aut misericordiam, donec justitiæ tuæ, quam extra statum merendi positi placare amplius non possunt, satisfecerint. Vivens vivens ipse confitebitur tibi, Cant. Ezech. sicut & ego hodie. Hinc vivus & sanus, imprimis tibi infinitas ago gratias pro
om-

omnibus beneficiis die hoc, & totâ anteaçtâ vitâ, mihi præstitis, nec quieti me dabo ante agnitos & expiatis, per gratiam tuam, defectus & peccata mea, & quia dicis: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*; hinc mortis cum primis memor omnia totius diei opera & actiones perscrutabor. Passio & amor proprius sæpè excæcant me, & nævos pro virtute, malum pro bono, obtrudunt; mors autem sive transitus de tempore ad æternitatem vivaciter menti impressus defæcatum de rebus omnibus mihi subministrabit iudicium, & quid coram te, & in oculis tuis reipsâ peccaminosum sit, ostendet. *Hic oculis in Calvariam, quam in Oratorio habes, intentis, percurre diurnas omnes actiones & occupationes tuas, & examina, in quo defeceris.* Hoc peracto, dic:

Nec severè iudicabor, nec condemnabor tam in particulari, quàm universali iudicio, si me ipsum tanquam rigidus Iudex plectam. Hinc tremendi tui, ô Domine, iudicii memor sacro ejus horrore perculsus ratione hujus, illius defectus, peccati commissi mihi non indulgebo, sed id amarè plangam. Infernus etiam ipse cum purgatorio non tantùm motiva attritionis, sed & perfectissimæ contritionis mihi subministrabit. Doleo ergo primò, quòd Justitiam tuam infinitam offenderim, quæ lethalem noxam æternis inferni cruciatibus, & levem in purgatorio etiam in amicis suis tam horrendis sensûs & damni pœnis castigat. *Dimitte me, ut plangam paululùm dolorem meum* (quem habeo ob
has

has pœnas promeritas) *antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseria & tenebrarum, ubi umbra mortis* (non ipsa mors; quia damnati non moriuntur, sed mortis umbram, horrorem, cruciatum semper sustinent) *& nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Job. 10. Non autem tantum detestor peccata mea propter te DEUM Justitiæ infinitæ offensum; sed & 2dò, quia offendi te ut mihi Bonum, tum propter alia innumera mihi collata beneficia, tum, quia comminando tam acerbis temporales pro venialibus, æternas pro mortalibus peccatis pœnas, infinitam tuam, erga me hominesque omnes, ostendis bonitatem: ut hoc scilicet medio eos à malo absterreas, & ad pœnitentiam, dum adhuc tempus est, agendam exstimules; cum enim, hoc non obstante efficacissimo sanè motivo, jam adhuc homines adeò in offensam tuam proclives sint. Profectò his nostris temporibus *quasi Sodoma fuissimus, & quasi Gomorrhæa similes essemus, nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen veritatis hujus.* Isai. 1. Et si Majores nostri nil de tam tremendis pœnis scivissent, atque à puero nobis salutaris hic metus non fuisset incussus. 3tò demum non tantum doleo propter te offensum ut mihi Bonum; sed vel maximè, quia unicum infinitum Bonum tu es: si enim hoc non esses, nec lethalis offensa tuam infinitè in tantum mala esset, nec æternis posset cruciatibus plecti, nec ob levem culpam tu DEUS infinitè misericors amicos tuos horrendum

dum

dum aded in purgatorio cruciaret; &, quod maximum est, ad satisfactionem condignam iustitiæ tuæ præstandam, & infernum, ad quem totum humanum genus condemnatum erat, evadendum, opus non fuisset, ut ipse DEI Filius incarnatus pro nobis satisfaceret. Ergo *converte me, Domine, gratiâ tuâ præveniente, & convertar; quia tu Dominus DEUS meus, hoc est summum in se Bonum, postquam convertisti me (gratiâ illâ, cui me cooperaturum prævidisti) egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi (motiva At- & Contritionis perfectæ) percussisti femur meum, confusus sum, & erubui Jerem. 31. Ad magis autem confortandum justum de peccatis meis dolorem, & ea in futurum non committendi propositum, oculis mentis, usque dum claudantur hi corporei oculi mei, semper observabitur cœlestis patria, & ultimus finis meus: ubi & innocentes, & verè pœnitentes inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Pl.*

35. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, Pl. 4. ita ut nulla amplius terrena aut carnalis delectatio eam dementare possit.*



PRAXIS SECUNDA.

Varietas sæpè magis in devotionis exercitiis attentum reddit. Hinc, sicut S. P. N. varios meditandi modos instituit hunc in finem, v. g. ut quis per quinque sensus meditationem instituat, ità & examen conscientiaë institui potest. Itaque

Per visum intuere oculis mentis tuæ beneficia tibi collata, & gratias age, pete simul, ut ingritudinem tuam tibi clarè DEUS ponat ante oculos.

Per auditum audi, quid conscientia tua tibi occlamet & exprobet ratione defectuum aut peccatorum die hoc commissorum.

Per gustum, ruminando motiva Act- & Contritionis, gusta & proba, quàm amarum sit, dereliquisse Dominum DEUM tuum, & quale *fel draconum, & venenum aspidum insanabile* Deut. 32. tibi debeatur pro peccatis tuis; & postquam quoque odoratus es, quàm foeteant peccata tua coram DEO & Angelis ejus.

Per odoratum quoque substitue thymiama odoris boni, cor scilicet hominis verè pœnitentis, qui perpetrata plangit, & millies mori præeligit, quàm plangenda deinceps perpetrare.

Per tactum offer DEO satisfactionem pro peccatis tuis, percutiundo pectus cum Publicano, & opus pœnosum aliquod, antequam ad lectum te componas, offerendo. Dum hoc postmodum facis; dic cum Davide: *In flagella paratus sum,*

sum,

sum, & dolor meus in conspectu meo semper; quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Psal. 35. Exigua, imò nulla, opus hoc pœnosum, est satisfactio pro peccatis meis; sed *cor contritum & humiliatum, DEUS, non despicias.* Hunc in finem id in unione meritum Christi, & Sanctorum omnium Divinae Justitiæ dedico, simul contestans, quòd ad carnem meam crucifigendam & domandam, indigeam tuâ gratiâ, & ad eam magis mihi conciliandam nunquam (in signum perpetuum diffidentiae meî ipsius) velim ea, quæ in Novitiatu addidici, pœnitentiæ opera intermittere.

§. XII.

VESPERTINA DEVOTIO.

DUm post visitatum chorum paulatim te ad quietem disponis, fors ex pondere & æstu diei portato lassus cogitare potes, verum esse illud cujusdam Ascetæ, quòd scilicet quatuor ætates hominis quilibet dies repræsentet. Dum manè surgis, & cum somno adhuc conflictaris, infantiam ac pueritiam quasi refers; ex post vespertior nonnihil factus, adolescentiam & juventutem; circa meridiem, virilem ætatem; circa vesperum, senilem. Dum somnus paulatim obrepit, & ligabit sensus, usumque rationis suspendet, mortem tibi ob oculos pone, & in lecto tumbam mortualem contemplare; sic in dies nascimur, & morimur.

Dum

Dum vestes exuis, ora Psalmum *De profundis* pro animabus in purgatorio, memorque omnibus te à morte spoliandum, cogita illud 1. Tim. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Et Job. 1. *Nudus egressus sum de utero matris meae, nudus revertar illuc.* Nihil supererit, nisi homo, & opera ejus. Bona opera ut augeas, communica spiritualiter, & hoc quasi viatico te muni; pariter in spiritu accipe extremam unctionem, & signo Crucis v. g. ad frontem, os & pectus facto, & convenienti, ad quemlibet sensum, dolore de peccatis tuis elicitò, dic: *Per istam sanctam unctionem* [quam, ut spero, cum pleno rationis usu aliquando accipiam] *& suam piissimam misericordiam indulgeat mihi Dominus, quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum & locutionem, per tactum & gressum deliqui.* Amen. Dein osculo terræ infixò, nam revertaris in terram, de qua assumptus es, quia pulvis es, & in pulverem revertèris. Gen. 8. Dic flexis genibus: *Protestor me non alium, quàm Catholicum, Societatis IESU Religiosum, devotum cultorem Virginis immaculatè conceptæ, adoratorem in Spiritu DEI mei Trini & unius, peccatorem verè contritum corde, vulneribus & cordi IESU pro me crucifixi penitus immersum, mori velle. Ab omnibus, quos unquam laesi, humiliter peto veniam, ex animo condono omnibus, qui me unquam laeserunt, imò ad exemplum Salvatoris bonum pro malo reddere quâlibet occasione paratus sum.* Per sacra vulnera tua peto à te, mi IESU,

ut

ut assistas pueris, qui hâc nocte vel cras in periculo erunt, ne ad Baptismum perveniant; hâc nocte morituri felicem agonem habeant, peccatores convertantur, & nullus, qui vel sanguine, vel Christo mihi junctus est, hâc nocte, maxime in domo hac, in statu disgratia moriatur. Demum fidelium anima per infinitam misericordiam tuam requiescant in pace. Acceptâ aquâ lustrali, poteris dicere: *Visita, quasumus, Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle; Angeli tui sancti habitent in eâ, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper.* In lecto decumbens toti mundo valedic, Agonizanti in cruce Christo, B. Virgini, S. Josepho, morientium Patrono, Angelo tutelari, S. Fundatori, & omnibus sanctis Patronis tuis articulum mortis tuæ commenda, & ut ostendas, quòd sicut manè evigilans, ita & sub noctem indormiscens geras morem monitis S. P. N. De meditatione altero mane habendâ cogita, & demum dic: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Multorum praxis est, si indormiscere non possint, ut orent Psalmum *De profundis.* Noctu subin evigilans dic: *Memor fui tui super stratum meum; in matutinis meditabor in te.* Ps. 62. *Anima mea desideravit te in nocte. Sed & spiritu meo in precordiis meis de mane vigilabo ad te.* Il. 26.

Quæ de devotione vespertina hactenus allata sunt, ea non nimis fusa esse docebit experientia. Si internæ devotionis affectus non tam verbis quàm mente practicentur.

Demum

Demum adhuc tria hic monenda occurrunt.

Primum est, ut, refocillatione aliquâ habitâ, assuescas consueto & præscripto tempore esse dormi, & ad quietem nocturnam te componere. Crede mihi, signum, quòd sis Dominus tuus ipsius, & consequenter in perfectionis via, est, quemlibet diem bene claudere, ita ut nec religiosæ disciplinæ ordinem interturbet sanguinis ex hausto vino effervescencia, nec quæcunque grata societas, nec inconsiderantia quædam, aut animi levitas, quæ debitam impedit reflexionem, quando & quomodo finis honestæ recreationi sit imponendus.

2do, Mos est laudabilis in Societate, ut indies post horam nonam vespertinam circumeat quis per ambitus visurus, an in cubiculis omnibus lumen extinctum sit, si non, monet, ut extinguatur; si monitis mos non geritur, id dicitur Superiori. Atque hæc quidem à Majoribus nostris sapienter ordinata sunt, tum ut per septem horarum somnum ac quietem sanitati cuiusvis consulatur; tum, ne, indormiscente aliquo, lumine adhuc ardente, incendium aliquod in cubiculo, quod dein latius serpere posset, oriatur. Credamne, te omnia cuiuslibet diei opera velle bene peragere, præscriptumque servare agendorum ordinem? si in ultimo extanti momenti causis præscripto deficis. Credamne, te ingenuitatis ac honestatis cultorem esse? si non monitis ab ante Superioribus in causa es, quòd nocturnus Visitator, monitusque ab eo Superior aut quietem nocturnam differre,

aut in eâ propter te turbari debeat. Quod si jam abscondis lumen, adhuc novi piaculi reus es, nec unam mereris mortificationem alios mortificans, ortoque incendio collegas conjiciens in angustias, & te jam somno correptum ingenti exponens periculo. Dum talia facis, videris tibi maximè sapiens; sed an nescis? majorem non esse stultum, quàm qui est reapse, & sibi sapit.

3^{tiò}, Ordo diei præscriptus & perfectio exigat, ut ea observes in cubiculo, quæ id à sordibus, fœtore emundent, lectum, vestimenta, libros in ordinem sic componant, ut nec vanitas in eo appareat, nec sordities; si studiis abreptus hoc negligis, nec religioso decori, nec propriæ sæpè sanitati consulis.

Quomodo diem totum transigere debeas, ut in virtute ac perfectione proficias, vidisti hætenus, an à me allatis devotionis exercitiis, aut aliis tibi præplacentibus uti malis, mea non refert. In hoc tantum vim pono, ut solidis circum agenda observanda & vitanda firmeris à juventute principiis, quæ eò te perducant, ut per quotidiana opera modo debito peracta eam, quam obligaris, assequare perfectionem, quæ in quo vi Instituti nostri summum consistat, & in specie sequens docebit



§. XIII.

ANIMADVERSIÒ PRACTICA VII.

Circa perfectionem in genere & in specie vi & ratione Instituti Societatis.

Sicut perfectio paulatim acquiritur per opera quotidiana (ut in præfatione hujus primæ partis adnotavi) secundum tempus, modum, ordinem, exactitudinemque in regulis præscriptam peracta; quia sic semper facis, quod Deus vult, passionésque edomas, & in continuo virtutis alicujus es exercitio. Sic haud dubiè S. P. Noster interrogatus de breviori ad sanctitatem viâ aptissimè respondit, curtissimam esse, si per adversa magis magisque affectus erga creaturas purificetur, & animus per orationem vocalem & mentalem indies magis jungatur DEO. Ascetæ varii docent nos, quodnam opus, quæ intentio alterâ sit perfectior; equidem agendæ illis sunt gratiæ pro salutaris instructione. Sed laudem non merentur illi, qui speculativè multa investigant, semper volunt discere, & nunquam ad scientiam veritatis practicè deveniunt vitio utique suo, similes illis, de quibus DEUS per Isaiam cap. 58. dicit: *Me de die in diem querunt, & scire vias meas volunt - Rogant me iustitia, appropinquare DEO volunt - Dissolve colligationes impietatis (hoc, illud omitte, age, in hoc, illo reapse te vince) tunc erumpet quasi*

E 2 mans.

mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur,
 & anteibit faciem iustitia tua, & gloria Domini
 colliget te ob profectum, scilicet in via purgativa,
 illuminativa & unitiva. In quem unice colli-
 mat aureus S. P. N. exercitiorum libellus. Ego
 hunc §. [cùm materiam contineat à nostris
 omnibus ex fundo sciendam] in tres partes di-
 vidam; & in primâ à num. 1. usque ad 10. cui-
 libet considerandum & examinandum offeram,
 qualem se in hoc, illo puncto reipsâ inveniat,
 & additis stimulis ad perfectionem vocationis
 conformem adjiciam signa duo hujus, ipsius
 perfectionis. In 2da parte recensebo tres dotes
 hominis ad munus Apostolicum ac proximum
 juvandum vocati; & quia hoc propriè concer-
 nit Institutum Societatis, pro meliori & hujus
 & perfectionis ei convenientis notitiâ. In 3ta
 parte, additis sub finem quinque reflexionibus
 quatuordecim puncta explicabo. De quibus in
 Societate ratio conscientiae Superioribus datur,
 quæ à S. P. N. præscripta vel maximè
 tendunt ad perfectionem nobis
 convenientem.



PARS PRIMA

*De perfectione practica, stimulis ad eam,
ejusque signis duobus.*

SI practicè vis scire, in quo statu economico sit domus aliqua, examinas quoad redditus & expensas annuas statum ejus actualem & habitualem. Si exactas vis inire rationes, in quo perfectionis statu vel gradu sis, examina non obiter, sed usque ad fundum, quomodo & actualiter & habitualiter constitutus sis in sequentibus.

Primò, Spiritualia quod attinet, quæ basis sunt & fundamentum omnis perfectionis, vide sis, an illa & his adjuncta opera pœnosa sæpè omittas, & ob eorum neglectum non sentias remorsum, aut sacrum aliquem horrorem. Si hiæ deficiis, utcunque forte subtiliter de perfectione nôris disputare, adhuc longè ab ea abes, imò in periculoso versaris statu tepiditatis, ità quidem, ut evomi possis ex ore DEI: vide item, an exactè observes ea, quæ ad disciplinam spectant domesticam, v. g. an ipso colloquii æstu ad datum signum observes silentium. Dum refocillationem habuisti, non obstante effervescentiâ aliquâ sanguinis in agendo, loquendo moderatus sis, consucto tempore cubitum eas, &c.

2dò, Considera, an, dum spiritualia satis accuratè observas, imò & devotiones varias

superaddis, nec disciplinæ domesticæ interturbatores, non sis singularis quoad communia cum cæteris opera, non abundes in sensu tuo, supra alios velis sapere, & tibi, quod tu agis, placeat; non quòd alii, imò tibi in teipso complaceas; ab aliis tua laudari, approbari appetas, vituperari ægrè feras, multùmque exercitè & reapse vanâ aliquâ gloriolâ, aut aliis complacendi studio, stimuleris. Si hoc, non tantùm non es in genuino ad montem perfectionis tramite, sed & merita apud DEUM plurima corrumpes aut perdes; nam singularitas, & *inani gloria*, teste Basil. *dulcis est spiritualium operum exspoliatrix, jucundus animarum hostis.*

3^{tiò}, Si quoad hoc te vicisti, aut ab ejusmodi labe immunis es, inspice teipsum, an, vocationi tuæ Apostolicæ conformiter, libenter labores, studeas, an ad arduum aliquod in te suscipiendum multùm rogari debeas à Superiore, vel ad supplendum pro altero in hoc, illo munere movearis potiùs fomento inde proventuro, quàm genuino Viri Apostolici motivo, an in defectu temporalis commodi declines aciem sub prætextu valetudinis, aut aliarum occupationum. Si sic declines aciem, non habes spiritum S. P. N. qui est ex pura intentione supernaturali fortia multa facere, & dura multa pati, adcoque non es in via perfectionis Apostolicæ. Sed de hoc plura infra.

4^{to}, Ut adhuc clariùs me explicem, si re ipsâ studes, laboras multùm; sed tamen ad instar molendinæ es, quæ non molit, nisi largo & crebro

crebro perfusa liquore (sicut aliæ non molunt, nisi vento inflato vanæ gloriæ) prætereà, si dum refocillationem habes, eâ abuteris, & dum non habes, inquietus es, aut inter fratres murmurantes, eò quòd semper humectari velis, & ad tam indigna à vitioso, quod pejus est, contracto habitu impelleris; nondùm sanè post tot in Religione transactos annos, & media ad perfectionem statui tuo congruentem à benefica DEI manu largiter suppeditata in gradu aliquo veræ perfectionis es, utcunque multa ad animarum salutem, DEI gloriam, & Ordinis tui honorem te & egisse, & etiamnum agere arbitreris. Teste Plutarcho, Ægyptii ex prima nobilitate mortuum condientes exemptum seorsim ventriculum in arcula seponebant. Dein, cum Pollinctor cadaver ad Solem convertisset, defuncti nomine Solem, Cœlitesque omnes hoc modo contestabatur: *Sol rerum Domine, vósque Cœlites me vobis contubernalem reddite! equidem piè vos colui semper, parentes honoravi, neminem occidi, aut deposito fraudavi, nec aliud quidquam infandum patravi. Quòd, si quid edendo & bibendo à me patratum est, id non meâ, sed hujus causâ commissum.* Simul cum dicto arcam, in qua ventriculus conditus erat, in profluentem projiciens, corpus reliquum, ut purum, & labis immune condiebat. Ità NB, nobiliores Ægyptii tumulabantur. Qui talentis, scientiis, rebus gestis velut Nobiliores eminent, videant, ne ratione ventriculi apud DEUM & homines ponant maculam in gloria; quia non

juvat culpam in ventriculum conjicere, aut eum in profluentem projicere; per hoc pura, & à labe contracta immunis non erit anima. Si hoc in genere abdomini tuo nimium inservivisti, terribiliter, saltem in purgatorio, torqueberis, eò quòd debitam hac in re statui tuo perfectionem non sis consecutus.

5to, Si temperans quidem es, abstemius, officio quoque tibi demandato impigrè fungeris, ostendis tamen per reiteratos actus, quòd non reverentem ac morigerum te satis præbeas Superioribus, nisi hi desiderio ac voluntati tuæ se accommodent. Si te & coràm, & in litteris servum, filium obedientissimum nomines, interim re ipsâ defectum, cujus admoneris, non emendes, nec reprehensionem æquo animo feras. Ostendis hoc ipso te reprehensione dignum, & adhuc valde imperfectum; sicut & si invidiâ ureris, quòd alii plùs te amari aut æstimari videantur.

6to, Si qua Officialis, aut Sub-Officialis aliorum (prout rivuli subin majorem solent excitare strepitum, quàm fluvii) dum oleo poteris curare vulnera tibi commissorum, acetum ex præcipiti quodam impetu affundas. Si in officio honorifico, dignitatula tua te non videaris satis posse capere, dilates fimbrias, & sis ex illis montibus, de quibus Propheta: *Tange montes, & fumigabunt*, adeoque genium quendam dominativum, præservidum, aut elatiores spiritus, quibus aliorum præfers contemptum, nondum satis fregeris. Jam satis quoque ex
acti-

actibus tuis, & inde generato habitu demonstras, quod perfectionem nondum possidere inceperis, quam S. P. N. in filiis suis requisivit, & consistit in generosa suū ipsius victoria. Stupenda sanè res! quod vir cætera annis & meritis gravis, temperans, in ascesi ac virtutis via versatus, tot sacris quotidianis exercitiis excultus, ex latente intus superbia, aut bile necdum domita, ad unicum verbum, exiguum occurrens rædium, tam subitò obliviscatur suū, & quā multò difficiliora superavit, ad ejusmodi lapillos non semel, sed tam crebrò offendere notetur ab aliis; ità quidem, ut hi quoque alios moneant, eum, de cætero bonum, esse ex illis herbis, de quibus vulgò dicitur, *noli me tangere*. Ad quid, obsecro, tua exactitudo in rebus spiritualibus, si, dum alii, minus harum curiosi, & amariore verbo impetiti lentè se præparant ad equum furoris insternendum, & conscendendum, tu jam modò subitò ocreatus in eodem, in plenissima forma confideas, & cæsum punctimque ferias.

7^{imo}, Si mansuetus quidem es, moriger, tractabilis, aliisque ornatus virtutibus; alia tamen quædam passio adhuc dominatur tibi, v. g. inordinatus amor erga carnem & sanguinem, patriam, concives, aut erga alium, cui ob apparentem tibi sinceritatem, ingenuitatem, feliciorē indolem, & nescio, quas sympathicas qualitates sensuali nimium affectu agglutinatus es, qui te in spiritualibus distrahat, per diem inquietet, partialem faciat, ut non rectum ju-

dicium feras inter amatum à te, & ab eo diffidentem, & priori, etiam cum exigua fortè aliorum ædificatione, adhæreas, eum foveas, etiam in re non æqua tueare [quâ imbecillitate magni sæpè viri correpti fuère] ô jam certè necdum cor tuum DEO, qui solus id possidere vult, planè reliquisti vacuum, adeoque nec vim debitam hæctenus tibi intulisti ad salebrosam perfectionis montem conscendendum; & quia hæc de occulto amoris ac critirii proprii fascino, quod viros cæteroqui sapientes ac graves sæpè dementat, sermo est. Adhuc unum, quod veræ ac reali perfectioni obstat, detegere debeo.

8^{vo}, Sic nempe à natura solemus esse comparati, ut, ad quod ex ingenita indole propendemus, pro virtute aut virtutis actu habeamus, v. g. qui reapse avarus est, putat esse virtutem parsimonix, qui prodigalis est, prodigalitati colorem appingit liberalitatis, qui justò fervidior ex abundante bile est, vitium interpretatur esse zelum & rigorem justum, qui meticulosus, dormituriens, ac negligens in eo puniendo est, quod castigari meritò deberet, id ex spiritu mansuetudinis, amore pacis provenire autumat. Sic superbiam quis suam pro magnanimitate, pusillanimitatem pro humilitate, leporinas qualitates pro affabilitate, donoque conversandi sibi à DEO dato, inflexibilitatem ac duritiem animi pro fortitudine ac constantia, levitatem ac mutabilitatem pro prudentia, morositatem pro modestia &c. vendit. Interim longè à medio, in quo virtus ac perfectio consistit, aberrat. Hic

opus,

opus, hęc labor est, ut ex hoc te imperfectio-
num ac cęcitatum tuarum labyrintho explices,
si verè, ut vi professionistux teneris, perfectio-
nem debitam consequi desideres. Hęc gratia
DEI illuminans, dirigens, consilium Confessa-
rii, Superioris, iudicium timoratorum ac pru-
dentum exquirendum, amorique ac critirio
proprio emoriendum est. Et hęc est materia
discussione digna pro omnibus, & maximè iis,
à quibus in cęteros multum boni, si medium
virtutis teneant; si verò ab eo aberrant, mul-
tum mali derivari potest & solet. Quòd si jam
his omnibus consideratis ac discussis pro hoc vel
illo perfectionis genere adipiscendo quasi despe-
ras ob habitum contrarium nimis radicatum, vel
passiones affectionesque animi tibi à natura for-
tius impressas. Jam eo ipso fateri debes, quòd
nec in via perfectionis sis, nec eam seriò inire
velis. Ergò hęc præpotentibus tibi opus est sti-
mulis.

9^{no}, Cogita ergo, quàm carò hęc tua obsti-
nata divinis inspirationibus & impulsibus resi-
stendi ratio tibi Religioso ad tam sublime vitæ
genus, ad perfectionem etiam apostolicam con-
sectandam vocato & obligato, tot ad eam adi-
piscendam mediis instructo statura sit in vita,
morte, particulari, universali iudicio, & totâ
demum æternitate. Hoc ruma sapiùs, dum
examen facis quotidianum, ad confessionem te
præparas, exercitiis spiritualibus vacas, dum-
que te salutari terrore percussum advertis, secu-
rim ad radicem tandem pone, *miserens anima*

tua, ut placeas DEO. Serius conatus, & cō-
 data resolutio tale est initium, cui vulgaris illa
 applicari potest parœmia: *Dimidium facti, qui
 bene cepit, habet.* In virtutis via solum initium
 arduum est ob conflictum naturam inter & spiri-
 tum, & duarum inter se pugnantium rerum
 amorem scilicet DEI, & creaturæ vel rei illius,
 ad quam passio prædominans te potenter incli-
 nat. Nunquid experientiâ scis? quòd DEUS
 te sæpiùs impulerit ad inordinatum hunc vel il-
 lum affectum deponendum, & ipse solus cor
 tuum plenè possidere voluerit, quòdque idè
 volueris, & non volueris, inquietus in animo
 tuo fueris, & saltem ante mortem omni inordi-
 nato affectu liber esse optaveris? Lucta & in-
 quies, quam hæctenus sensisti rebellis lumini,
 multò gravior est, ac illa erit; si seridè injun-
 ctam tibi à DEO tuâ ipsius victoriam, in hac, illa
 passione supprimenda, velut crucem asperam,
 acceptes, eamque tam fortiter cordi apprimas
 & adstringas, ut aculeos, si quos habet, ipso
 amplexu obrundas, dulcedinè que latentem
 exprimas, quæ sufficiat ad condiendas, quot-
 quot in ardua virtutis semita usque huc exhor-
 tuisti, difficultates. Illæ tibi crux videbantur
 insupportabilis, sed unctionem nondum proba-
 ras, quam jam incipies perlentiscere. Videbe-
 ris tibi multò levior terreno isto abjecto ponde-
 re, eris quietus, hilaris, non timebis in tali
 statu mortem; severus Judex non tantum tibi
 videbitur placatior, sed & uberioribus ab ipso
 gratis solatiis inundaberis, dicēsque sæpè intra
 re;

te: O quàm mihi modò melius est, quòd inordinatum hunc affectum exuerim, à perfectione, statui meo conformi me hactenus avertentem. Jam in ea, quâ cœpi, via pergam, securim per examen particulare radici applicabo, quæ propullulantes ex veteri affectu furculos abscindat, & quòd ulterius per DEI gratiam progrediar, eò minùs semper difficultatis sentiam. Bene habet, jam es in recta via; nam, teste Bernardo, *indefessum proficiendi studium, & jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.* Si ex inconsiderantia, imprudentia, fragilitate subin ratione istius affectùs inordinati, qui in te radices fixerat, aut passionis, quæ aliàs prædominari solita fuit, in peccatum leve exposit labaris; hoc materiam tibi quidem humiliationis, diffidentia tuî ipsius subministrabit, non tamen, quia id deploras, & seridò refarcire cupis, impediet; sed potiùs inflammabit ad magis magisque debellandum, quod lapsùs istius causa est, & sic amor spiritualis, de quo in meditatione ultima libri exercitiorum agit S. P. Noster, plenius paulatim subintrans, quidquid in corde tuo ex amore naturali, sensuali, vel etiam inordinata aversione erga creaturas restat, expurgabit, tēque perficiet. Si vis signum habere, unde perfectionis statui convenientis gradus colligere aut dimetiri possis. Ecce duo, quorum primum est paulò *sublimius*, alterum omninò *planum & simplex.*

1o modò, Ante meditationem de amore spirituali S. P. N., habet meditationem de gloriosa

Christi Resurrectione, vi cuius & te gloriosè resurrecturum speras. Jam *signum est*, quòd & cor tuum DEUS, & tu perfectionem possideas, si, quantum humana fragilitas patitur, gloriosè resurgentibus Beatorum corporibus imposterum in via perfectionis assimileris. Sicut enim corpus gloriosum præditum est quatuor dotibus *claritatis, agilitatis, impassibilitatis, & subtilitatis*, & sic quasi *spirituale* efficitur. Ità amor spiritualis erga DEUM (à cuius in te augmento ac gradibus, gradus quoque perfectionis dimetiendi sunt) magis magisque in te accrescens, & quatuor animæ tuæ facultates plenius possidens, *Intellectui tuo dotem claritatis* communicabit, vi cuius tenebras ab amore proprio, aut passione in te fortiori affusas facilè dissipare, & voluntatem accendere possis ad præluendum cæteris splendido virtutum exemplo. *Dono agilitatis* idem amor afficiet *voluntatem*, quâ prompta redditur ad omnem DEI nutum, ut continuo idem velit, & superatâ exiguâ adhuc hominis inferioris reluctantiâ, voluntati divinæ in omnibus obsequatur. *In appetitu*, ut vocant, *concupiscibili* idem amor genus quoddam dabit & augebit *impassibilitatis*, quâ obturatur animus adversus omnes voluptates, & objecta sensum titillantia, ut nullâ earum vi à recto discedat. *In irascibili* denique *appetitu* donum quoddam implantabit *subtilitatis*, vi cuius, sicut sinè difficultate corpus gloriosum, quælibet obstantia etiam durissima, penetrat, ità tu difficultates in via perfectionis occurrentes perumpas,

pas, tēque in agendo ac patiendo voluntati divinæ perfectè accommodes. Alterum planum & simplex perfectionis à te possessæ signum est primò, si, quod de Anna uxore Elcanæ 1. Reg. 1. legitur: *Vultus illius non sunt amplius in diversa mutati*, & vultus seu animus tuus (sive in prosperis, sive in adversis, sive dum laudaris, sive dum vituperaris, sive objecta grata, sive ingrata habeas, sive ad amorem, sive ad iracundiam inciteris, sive sanus sis, sive æger) non amplius in diversa mutetur, hoc est, in omni eventu tibi semper similis ac præsens maneat, nec magnam in passione contra nitente suppressenda [ut exterius non appareat, & interius non cruciet] difficultatem invenias. Hic enim verò lapis Lydius virtutis ac perfectionis est. 2dò, si, quod Pharao Josepho dixit Gen. 41. *Absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Egypti*, tu DEO dicere possis, quòd ità ei in omni actione, cogitatione, conversatione, eventu unitus maneat, ut nec pedem, nec manum, nec linguam, nec aliud quodcunque membrum moveas, aut opus inchoes, quin non simul vel habitualis, vel virtualis, vel actualis & expressa intentio influat, hoc faciendi, quod ipse vult. Hæc duo, nempe sibi semper in omni eventu similem esse, & in omni actione conjunctum manere DEO, sicut sunt certissima perfectionis signa, ità & in iis tota consistit in hac miseriarum valle felicitas, & reverà eò devenies, si indies ea, quæ tibi præscripta sunt, seriò coneris benefacere. Porro

unio-

unionem cum DEO præter allata in hac prima parte mirè promovet frequens per diem mentis in DEUM elevatio. Et quia hæc ipsa multum quoque contribuit ad opera quotidiana perfectius obeunda, hinc in secunda parte de hoc utilissimo exercitio agetur.

Interim, quia homo Societatis non tantum ad hanc perfectionem & felicitatem vocatus est, sed ut simul salutem ac perfectionem proximi promoveat, talémque se per cooperationem cum gratia divina formet, ut omnis generis officia, directionem ac regimen animorum tam in-quàm extra Societatem concernentia, ritè ad majorem DEI gloriam obire valeat, modò, ut promisi, de perfectione ac dotibus ad Virum Apostolicum requisitis agam.

PARS SECUNDA

De triplici dote ac perfectione viri ad proximum juvandum vocati.

Perfectio ad genuinum Virum Apostolicam requisita exigit, ut D. N. J. C. ad cujus Societatem vocatus es, vitam, mores, & modum agendi exprimas in omni opere, in quo, sive cum Confratribus, sive cum externis agis. Jam sicut de Divina Sapientia Sap. 8. dicitur: quòd *atingat omnia à fine usque ad finem fortiter, & suaviter*, ità in vita, & modo agendi Christi cum hominibus, quorum futurus Salvator in mundum venerat, invenies: quòd, dum cum homi-

hominibus quâ promissus Messias agere incepit, primò *attigerit*, sive considerârit accuratè omnia quibus fines sibi propositos assequeretur. Secundò *fortiter* adhibuerit media pro finibus istis consequendis excogitata. Tertiò disposuerit corda hominum *suaviter*, fortitudinem suam insigni mansuetudine attemperando. Contraria his tribus qualitatibus vitia nostra in rebus agendis solent esse tria. *Primò* Inconsiderantia in exquirendis mediis maximè congruis & efficacibus. *2dò* Ignavia in iis exequendis. *3tiò* In ipsa executione Impatientia, aut alius præceps animi motus. Jam bene adverte, & ad hos tres defectus, & ad tres iis oppositas Christi doctes.

DOS PRIMA,

Prudenter & providè omnia disponenda.

Primò itaque exspectat D. N. J. C. ætatem annorum triginta, antequam abscondita à constitutione mundi eructare, hominibus verbum DEI, novamque legem prædicare, & cum iis conversari incipiat, eò quòd talis ætas maximè congrua sit ejusmodi muneri. Exspectat deinde, donec Præcursor suus Joannes disposuerit animos illorum, quibuscum acturus erat, & hic ipse eam sibi apud populum auctoritatem conciliaverit, ut ei fides adhibeatur. Et sic convenientius ipse Christus primùm innotesceret alterius, quàm proprio indicio. His mediis præ-

am-

ambulis adhibitis, ipse se manifestare incipit; prius tamen opere, quam verbo prædicando. Hinc humilitatem, à qua semper opus Apostolicum inchoandum, exercens, baptizari vult instar peccatoris à Præcurfore suo. Dein dat se in preces, aperitur cælum, Spiritus sanctus in columbæ specie in illum delabitur, & auditur vox æterni Patris: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 3. Hâc auctoritate apud homines sibi comparatâ non contentus secedit in solitudinem, ulterius ad magnum, quod præ manibus habebat, opus inchoandum, se quasi præparaturus. Ibidem quadraginta dies in precibus ac jejunio transigit, agit animo, ac circumspicit tum omnia à se faciendâ, tum media ad ea maximè opportuna, tum casus ac eventus varios, qui in tam salutari opere sive obesse, sive prodesse possent. Hæc omnia *attingit à fine usque ad finem providè*: non quòd ejusmodi sollicitâ ipse indigeret discussione. Sed ut hoc modo doceret solidâ, & bene longâ nos indigere præparatione ad opera Apostolica perficiendâ. Ne ruamus cæcè in ea, quæ vocatio nostra exigit; sed circumspeditione debitâ, discussione mediorum ad finem intentum optimorum; internâ demum, per preces, aliâque opera pœnosa, animi præparatione præmissâ operi Apostolico præludamus. Hunc in finem S. P. N. præter menstruam, hebdomadariam, quotidianam in examine generali & particulari recollectionem, octiduada præscripsit quotannis exercitia, atque post tum docta humaniora, tum tra-

tractata altiora studia integrum tertiæ probationis annum instituit. In quo discas in qualibet postmodum actione præsentem ac collectum habere animum, præteritorum in ordine ad emendationem memorem, & futura, ac præsentia, in ordine ad bene fructificandum, providè disponentem. Hunc considerationis usum testamento reliquit David filio suo Salomoni 3. Reg. 12. nil æquè commendans, quàm ut in omni actione sua sit circumspectus. Et in eo ipse Salomon Prov. 14. sapientiæ apicem collocavit: *ut intelligat quis viam suam.* Hæc est discretio, quam ajebat magnus ille Sanctus Antonius apud Cassianum Collat. 2. *Oculum & lucernam corporis* in Evangelio nuncupari. Hoc denique argumentum est præclarissimorum quinque librorum, quos de consideratione S. Bern. Eugenio Papæ inscripsit, ut exinde omnem in agendo & loquendo præcipitantiam cavere disceret, aliæque, quæ exteriora complectuntur, moderari, & interiùs omni levitate animi facilè evagantis repressâ peritiam suû ipsius regendi consecutus, sapienter ac providè omnia in ordine ad Ecclesiam totam tantò felicitiùs gubernandam disponere ac ordinare posset. O quàm vellem! hæc bene à te in omni spiritali secessu, imò & in quotidiana animi recollectione ruminari. Ne imposterum toractiones tuæ, etiam bonæ, etiam in bonum proximi per se tendentes sint potiùs hominis, quàm humanæ, potiùs naturale quid, quàm Divinum, aut spirituale sapientes, adeoque

que aut nullius, aut exigui apud DEUM meriti
apud proximum fructus.

DOS SECUNDA,

Omnia fortiter exequenda.

Secunda proprietas, & Divinæ Sapientiæ, & Christi Salvatoris est, quod fortiter adhibuerit media, quæ prævisa erant pro fine suo consequendo maximè congrua & efficacia, omniæque ea in opus redegerit, quæ consideratio prævia dictaverat esse facienda. Et hæc fortitudo ac constantia est *anima* cujuslibet actionis Apostolicæ, sinè qua, quidquid etiam ad gloriam DEI, proximique salutem suscipitur, languet, & vel ex ignavò quodam torpore animi opus inchoatum relinquitur, vel ad aliud ex prioris fastidio transfilitur. Tales imbelles Apostoli dantur multi. Nolim ego tibi inculcare fortitudinem Christi à te non imitabilem, v. g. quomodo converterit mundum per piscatores, homines rudes, illiteratos, quomodo per miracula totque invictos pugiles, per puellas puerosque debiles suâ gratiâ confortatos, Reges & Principes, orbemque universum belluarum potius, quàm hominum moribus imbutum, jugo suo subjecerit, coëgeritque, ut venerandum JESU Nomen adorent cœlestes, terrestres, & infernales Potentiæ. Ecce fortitudinem, quam in vocatione tua Apostolica imiteris. Vicit ille occurrentia, ex agrestibus Discipulorum suorum

rum moribus, incredulitate, obstinatione, aliâque tædia; Populum Judaicum non credentem, & continuò contradicentem novis semper doctrinis instruxit, veritatem, nullo respectu humano habito, prædicavit, nulli labori, nulli ærumnæ in fame, siti, frigore, aliisque incommodis pepercit, nulli adversitati, contradictioni, persecutioni cessit, propriam demum vitam suam & sanguinem immolavit, tam infanda in passione ac morte sua passus, ut scilicet exequeretur illa, quæ ad salutem humani generis necessaria aut utilia esse præviè cognoverat. Et hanc fortitudinem Christi, ut pro modulo tuo Vir Apostolice imiteris, necessum est. Non imitaris autem: & cur? fatère, quod res est. Animi tui languor, & in exequendis mediis ad salutem proximi necessariis vel proficuis, tegnitates ac inconstantia provenit à natura tua corrupta. Quæ, quia in eorum executione sua comoda non invenit, quia fomenta sensualitati subservientia non accipit, quia laude applausûque hominum non excitatur, nec liberali benignitate Superiorum, quam deberi sibi putat, animatur: sed potius pro bono malum, pro gratiis ingratiâ recipit, imò & varia tædia, persecutiones, maledicta sufferre debet; subitò quasi viribus omnibus destituta concidit, & manum aratro Apostolico applicatam retrahit. O imbellis miles! quis tibi de tantis animis, de tam prodigiosa perfectione post tot in Religione transactos annos gratulabitur? nisi niger ille genius, qui à tempore, quo esse cœperas, tibi ad-

ad-

adstitit, & ad ultimum vitæ terminum adierit, & statim post mortem coram Christo Iudice ignaviam tibi tuam exprobraturus est. Hiccine est spiritus S. P. N. & Confratrum tuorum jam à duobus sæculis? qui sudore & sanguine suo quatuor orbis partes irrigârunt. Quid dicent ad hæc Connovirii Collegæ tui? quibuscum tot annis vixisti? qui jam tum ad sanguinis usque effusionem, incarcerationem, omnis generis incommodorum, ludibriorum, tormentorum tolerantiam, læti & alacres Ducis sui Domini nostri Jesu Christi vestigiis pro animabus lucrandis insistunt. Sed hem! sicut S. Thomas Aquinas, SS. nostri Aloysius ac Stanislaus singulare habuerunt privilegium Angelicæ puritatis, ut carnis stimulos non amplius sentirent; ita tu fors privilegium habes, vel tibi arrogas, ut commodis naturæ tuæ semper satisfiat, labores, tædia, contradictiones, adversitates non suffineas, in cūlcitra variæ sensualitatis quietè considerans, & nihilominus magnus sis Apostolus. Scio, sarcasmus iste non sapit. Ergo dic mihi ubi sunt lumina, quæ habuisti? proposita, quæ fecisti jam à Novitiatu usque huc in tot meditationibus, atque spiritualibus exercitiis? si aliàs viva imaginatio Christi fortiter pro salute hominum dimicantis tibi dictavit, nil debere videri arduum, quod pro animabus DEO lucrandis exantlatur. Cur renuis ejusmodi denuò vivaci impressione torpentem excitare spiritum? an times, ne nimium pro cœlo, pro DEI gloria pro animarum pretioso Jesu Christi sanguine redem

dem

demptarum salute agas? aut nimiam in Virum Apostolicum cadentem perfectionem assequaris? an putas, te hâc ignaviâ gloriosum fore in extremo iudicii die spectaculum coram DEO, Angelis & hominibus? an solatium te exinde habiturum speras in agone, in ultimo mortis articulo, imò totâ retrò æternitate? tu ad tam sublime vitæ genus vocate, tot gratiis hunc in finem à benefica DEI manu cumulate? ô insensate! quis te fascinavit ante oculos Capitanei tui pro te crucifixi? ut, cum primis Religionis annis, ac in primo fervore non timeres manum Tyranni gladium terribiliter vibrantis; nunc turberis ad folium verbi volantis, & ob minimam incommoditatem, aut occurrens tædium animum despondeas. Absit, Domine JESU Dux & Salvator mî, non sic transigentur residui dies vitæ meæ. Nil aggrediar ex præcipite, & malè consulto imperu, discutiam diligenter & præmeditatè media in ordine ad fines vocationis meæ maximè congrua ac salutaria, eadèmq; fortiter exequar, occurrentes perumpam difficultates, & hoc, quod mihi circa salutem ac perfectionem proximi procurandam sancta obedientia in hoc, illo loco, hoc, illo tempore, assignabit officium, frendente in vanum diabolo, adimplebo strenuè. In meditatione meæ exardescet ignis, in eâ fortissimis me armabo motivis, ut in aciem veniens pedem non retraham; sed attingens à fine usque ad finem omnia fortiter ad ultimum vitæ halitum dimicabo, nec in transversum rapiet me indignum illud quorum-

run-

rundam Sensualistarum principium ; quod (si equi duo non jungantur currui, & præter motivum supernaturale ad laborandum impellens, non adsit temporale, fomenta scilicet) detrectandum sit onus, quod imponitur. Videant illi, ad quos attinet, quid in ordine ad vires laborantium refocillandas aut confortandas conducatur : ego, qui necdum vibices, stigmata, vulnera Ducis mei JESU Christi in corpore meo porto, &, prò dolor ! tam parùm hæcenus pro DEI gloria & animarum salute pertuli, imposterum saltem sciam abundare, & penuriam pati, exuam imbellem nimis ac sensualem genium, nec degenerabo à præcellis cogitationibus filiorum DEI.

D O S T E R T I A.

*Fortitudini in exequendo jungenda
suavitas.*

Tertia proprietas Divinæ Sapien-tiæ & Christi Archistrategi nostri est, quòd fortitudini in exequendis necessariis ad salutem hominum mediis adjunxerit mansuetudinem, adeoque eò certius ac constantius finem intentum obtinuerit. Nihil est magis in Viro Apostolico, pro reducendis hominibus in viam salutis & perfectionis, necessarium, quàm solidus ac stabilis in eorum animos dominatus. Hic autem nullatenus, cum nullum violentum sit perpetuum, acquiri potest à viro utcunque generoso ac forti, nisi per

per adjunctam suavitatem, ac genuinam, non fucatam aut affectatam, mansuetudinem. Evangelista mansuetudinem Christi adumbrare volens Matth. 22. adfert textum ex Isaia c. 42. sequentem: *Ecce puer meus, quem elegi; ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, arundinem quassatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet.* Aded nimirum condescendet oblocutioni, oppositioni, convitiis, altercationibus hominum ingratorum ac brutorum, quorum salutem quærit, tantaque ejus erit erga ipsos benignitas, ut non videatur ausuruselevare vocem, ne exacerbet, non calcare arundinem semifractam, ne ingratum strepitum excitet, non lucernam extinguere, ne fumi odore præsentibus molestiam creet: & qualis tua corporis ac mentis est compositio? Dum vis operari aliquid in bonum proximi, & oppositiones pateris, effervesces, clamas, contorques oculos, rugas induis, premis labia, dentibus frendes, manibus pedibusque tremis, aut terram pulsas; & adhuc justo te zelo armatum putas contra delinquentes & contranitentes, sed toto aberras cælo. Genuinus secundum scientiam zelus talis non est indolis; frustra culpam indignationis tuæ in pravos aliorum mores conjicis, totum malum in te residet, quia, si inordinatarum affectionum tuarum dominus esses, patienter ferres; quod emendare non potes, & si potes, in lenitate spiritûs adferres remedium, & sic, dum alium cum in-

F

de-

decente effervescencia corrigis, ipse correctione dignus non apparet, esses etiam tibi magis præsens, & aptus ad invenienda remedia, quibus malum, quod bilem tibi movet, à corde proximi, vel etiam tibi subjecti efficaciter propulsares. Ira enim (cùm sit, quamdiu durat, insania) & rationem obtenebrat, & mentis vigorem virésque extenuat, ut jam non fortis in militia Christi Athleta, sed debilis, fungus ac fucus appareas. *Irascimini*, ait Scriptura, *& nolite peccare*. Peccatum non aberrat, nisi dum crudâ acerbitate eliminatâ remedium malo adfert *mansuetudo & lenitas spirituum*. Gal. 6. Nullus hominum magis peccatum odisse, ejusque infinitam malitiam melius agnovisse potuit, ac Christus Dux tuus; & hic tamen (licet justam DEI iram subinde minatus sit Pharisæis & Hypocritis, generi hominum, sincerissimo suo cordi, maximè invisum) benignum se semper ac placabilem peccatoribus exhibuit. Increpavit Discipulos Luc. 9. ignem de cælo contra impios deposcentes dicens, hunc non esse spiritum suum. Malco aurem amputatam benignè restituit corrigens Petrum, qui in evaginatione gladii justam Magistri sui defensionem putabat consistere, & pro *transgressoribus*, tam acerbis hostibus suis æternum Patrem suum deprecatus est in Cruce suavissimâ illâ oratione (*Pater dimitte illis, non enim sciunt, quia faciunt*) quæ adamantina emolliat pectora. Hæc mansuetudo gentilem convertit Centurionem in Cruce, & cæteros inde revertentes mo-

vit ad percutienda pectora sua. Hæc benignitas tot inveteratis lachrymas excussit peccatoribus. Hæc suavitas efferatis tygridum adinstar hominibus cœlum implevit. Semper ergo, & maximè, dum in procinctu es ad media, quæ ad conversionem hominum maximè congrua prævio delectu excogitasti, exequenda, auribus animoque tuo insonet illud Ducistui; *Discite à me; quia mitis sum & humilis corde.* Atque illud demum inconcussum tuum sit à juventute principium, illum verè ac propriè in Christi militia fortem esse, qui fortitudini isti, quæ nulli humano respectui, nullis laboribus, ærumnis, tædiis, adversis in DEI causa cedit, adjunctam habet mansuetudinem, quâ & suum & aliorum animos tranquillos ac obsequentes reddit, instar olei unctionisque sancti Spiritûs suaviter influit, & hominum corda, quocunque vult, inflectit. In ejusmodi hominibus prudentibus, fortibus, mansuetis, sive Concionatores sint aut Operarii, sive Professores aut Superiores, fiduciam suam collocat Societas. Dum ejus famam dilacerare, divinæque gloriæ maximè obesse potest, qui vel tumultuariè & inconsultò negotium aggreditur, vel sua, non quæ Jesu Christi, quærit, vel quasi Toparcha in Pietz aut Marocco iis, cum quibus agit, dominari in spiritu acerbiorè vult, quos in spiritu leni ac submisso tractare gestiunt supremum Societatis Caput, præcipuâque ejus membra.

Atque hæc unà cum præcedentibus animadversionibus sunt, quæ à juventute imprimi nostris desidero, & cum primis in tertiæ probationis anno unà cum illis, de quibus in animadversione sexta de conversatione tanquam ministerio Societatis differui, bene digeri. Qui enim tertiæ probationis anno consummato solidis non obfirmavit animum principiis, vitæque Apostolicæ fundamentum posuit, sui Dominus, rarò expòst Apostolus fiet, sive Religiosus talis, qualem Instituti nostri ratio expòscit.

Reflexio de Melancholicis.

DUm peropportunâ occasione datâ animadversiones has meas, & præprimis sextam & septimam Viro cuidam prudenti ac religioso sed à natura melancholico, prælegerem, & ulterius ruminandas offerrem, reposuit is mihi post tempus aliquod, morem his geri posse bene natis, & felicem sortitis animam, sed non ab iis, qui atrâ abundant bile, nec de his mihi posse quidquam statuere: cum moralis istius morbi experientiam non habeam. Contentum disputationis nostræ amicæ, ipsius & mea postulata, & quomodo utrimque in hoc vel illud condescendo, tandem in systema aliquod statuendum convenerimus, hîc subnecto, postulata ipsius generatim hæc erant: *1mo* juxta illud Script. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*: nec naturam, nec ejus naturale temperamentum homi-

homo sibi ipsi dare potest, nec à DEO acceptum in aliud transmutare. 2dò, fatebatur per media spiritualia à S. P. N. suppeditata passionis iræ, impatientiæ, superbiæ, &c. posse domari, habitus vitiosos, inclinationes naturæ ad furta, obscœna, &c. per eadem pariter posse coerceri, eo ipso enim, quòd ad peccata impellant, hominem DEUM timentem, & æternis veritatibus illuminatum statim excitari ad resistendum. Aliter autem se res habet (sic instruebat me idem) cum homine, qui melancholicis derepentè obruitur humoribus, & ob crassiorem sanguinem, defectum necessariæ ejusdem circulationis, constipationes, aliasque corporis infirmitates, innatam præterea pusillanimitatem, & vivaces rerum tetricarum phantasias, quas abigere à se non potest, tam atrâ involvitur nube, ut, quidquid videt ex rebus & personis aliàs sibi gratis, tædium ei, & aversionem ercet. Hic in talibus circumstantiis solvitur in lachrymas, sentit tremorem in membris, angustias in corde, &, quidcunque ei proponas, juvare se non potest per examen particulare, aliàque media: sed exspectare debet non secùs ac in febribus, donec paroxismo isto abscedente menti tranquillitas redeat. 3tiò, dicebat idem, sibi sæpiùs ex jam allatis causis contigisse, quòd, quando se optimè putabat esse dispositum ad negotium aliquod pro DEI gloria tractandum, hoc malo subitò correptus nequidem inchoatum potuerit continuare discursum, nec ad aliud, quàm ad Thebaicas su-

spirarit solitudines, uno verbo, durante hoc paroxismo ad nihil aptus fuerit.

His similibusque auditis & examinatis postulavi & reposui ego *primò*, non contendere me, ut, qui atrâ bile, melancholicisque abundat humoribus, defectus in circulatione sanguinis, constitutione corporis, & pusillanimitatem innatam patitur, vel diris ac vivacibus inquietatur phantasiis, naturam istam in omninò felicem ac pacatam mutet; utique enim ipse Deus fecit nos, & non ipsi nos.

2dò, Cùm his non obstantibus medicus pro constipatione, circulatione sanguinis emendanda, materia peccante, & horum simul malorum saltem ex parte causâ expurgandâ, præscribat media, ut sunt commotio corporis diurna, purgatio, venæ sectio, aliæque, me quoque jure postulare ab ejusmodi homine, ut terrâ animum involvente nube saltem non permittat instar desperabundi purè naturam, ratione innati temperamenti se moventem, prohibitu agere. Sed ut ad torporem excutiendum saltem se loco moveat, distractionem quærat, ulterius tetricis phantasiis morosè non inhæreat, & occupationem aliquam arripiendo saltem indirectè contranitur; sique aliud medium non invenit, è sede exiliendo, aërem liberum captando, mirabile & miserabile caput suum etiam, ut joco dici solet, pugnis impetatur.

3tiò, Dixi me, licèt propriâ experienciâ infirmitates hominis admodum melancholici per-

spe-

spectas non habeam, scire tamen ex hominum ejusmodi confessione propria, quod experti sint, non ita arduum esse tertiâ quartâ vice animum ad serenitatem ac tranquillitatem reducere; si primis vicibus fortiter se vicerint, contrariumque ei, quod melancholicus dictabat genius, fecerint, quam si constanter sine ullo in contrarium nisu, & sub prætextu, quod naturæ motus superari non posset, eidem desides succumbere maluerint. Addidi, pariter fateri ejusmodi homines, quod, si primis annis habeant difficultatem *ut quatuor* v. g. manendi in consortio aliorum, hoc illud opus inchoatum continuandi, dum melancholici se movent humores, succedentibus annis sentiant in eo difficultatem *ut sex*, cum morbus sive mortalis, sive Physicus non adhibitis congruis remediis semper magis magisque invalescat. Atque inde inferebam, patere ergo sat superque, quod, etiamsi admodum difficile, aut quasi impossibile tibi esse videatur, ut æstu melancholico superveniente v. g. maneat in consortio, in quo fuisti, continues opus, quod ad DEI gloriam inchoasti, niti tamen in contrarium debeas: non ut physicè naturam mutes; sed ut paulatim major tuus ipse Dominus fias.

4to, Dixi eidem, eum fateri, quod passiones, inclinationes, quæ immediatè ad peccatum alliciunt, nunquam non reprimi debeant, & ab homine religioso, æternis veritatibus imbuto etiam facilius supprimantur ob vivacem illam apprehensionem, quod Deus offendi non

debeat. Subintuli, ergo etiam vivax apprehensio, quod vocatus à Deo sis ad vitam locialem, Apostolicum vitæ genus, & quod, nisi melancholicis inclinationibus tuis resistas, iisque contrarium facias, paulatim minùs & minùs, & tandem nullatenus aptus futurus sis ad munia Apostolica obeunda; item vivax apprehensio, quod Deus, à quo supponis te reapse ad Societatem vocatum esse, gratiâ suâ tibi defuturus non sit, dummodo tu contra naturam pugnando ei coopereris. Demum vivax apprehensio, quod, nisi id facias, gratias tibi ulteriores congruas ille fors subtracturus sit, & tu variis peccatorum periculis exponendus sis; ejusmodi, inquam, vivax apprehensio te facile quoque incitare poterit ad fortiter resistendum melancholicis tuis inclinationibus, sicut reflexiones hæ, alium iræ, superbix, luxuriæ motibus fortiter tentatum incitare debent ad iis fortiter resistendum. Et reverà varii generis peccata sunt, ad quæ pusillanimitas & melancholia, cujus motus à te non posse opprimi cavillaris, planissimam sternit viam, ut tot, prò dolor! experientiis constat etiam in iis, qui, quia aversiones, rædia ex melancholicis humoribus provenientia superare noluerunt, suam petière à Societate dimissionem, vel ultrò tanquam inepti & sui capitis dimissi sunt.

510, Ut viam magis pararem ad systema, in quod utrimque conveniendum erat, dixi, me ab Hypochondriaco non exigere, ut semper æquè bene dispositus sit; nam corpus, quod cor-

rum

rumpitur, constipationibus, crasso sanguine, aliisque malis infestatur, utrique *aggravat animam*; & quis est homo? qui æquè hilarius est, æquè semper aprus, dum mens serena est, & dum atrâ involvitur nube, aut diris torquetur phantasiis. Saltem de ista perfectione aut privilegio peculiari modo non ago. Interim suppono, quòd Hypochondriacus, cum quo modò ago, nec sit infessus, nec circumfessus à malo genio, non semi aut plenè stultus; sed libertatem habeat, ut gratiæ divinæ ad se vincendum cooperari possit, cum hoc, utpote bonæ voluntatis, non autem genii omninò pertinacis, conveni & convenio in systema sequens.

Primò, Gaudeant bene nati, qui nec ex avito sanguine, nec alio ex casu atrâ nimium bile infestantur, sed nihilominùs bene confiderent, quàm severas Deo rationes dare debeant, si tam felicem sortiti indolem otiosi aut desides in vinea Domini excolenda fuerint. *2dò*, minùs felicem sortiti indolem, & maximè melancholicis obruti humoribus difficultatem sæpè magnam habent se vincendi, adeoque & Apostolicum in hac naturæ lucta munus obeundi. Interim, quia de vocatione sua satis persuasi sunt, libertatem habent, & Dei gratiam; debent in generosos contra naturam ausus assurgere, media sive directa, sive indirecta nunquam non ad dissipandas, vel saltem extenuandas terras nubes adhibere, nec cedere sive aversioni, sive inclinationi, quam melancholicus humor

F s inge-

ingerit, sed contraniti mox cum majore, mox cum minore difficultate. Certi, quod paulatim cum divina gratia magis & magis sui sint futuri Domini, eoque majores in æternum reportaturi coronas, quâ majori cum lucta eas comparârunt. A juvenilibus autem annis securis ad radicem ponenda est, ut sæpius dixi, tum, ne accrescentibus annis lucta semper fiat gravior, tum quia, sicut pulchrior est pulchro veniens de corpore virtus, ita ordinariè loquendo vegetior ex vegeto, quam effæto corpore fortioreque est operatio & pugna contra naturæ inclinationes. Hoc, dum juvenis eram, certus tunc temporis Superior meus moriens mihi aliisque junioribus adstantibus inculcavit, monitumque istud altè semper animo inhæsit meo, sicut & documentum istud, quod senex ædificationi futurus sit, qui in ipsa juvenia didicit modum ponere lætitiæ aut hilaritati honestæ, ita ut ordinem in domo religiosa præscriptum, quando à potu, confabulatione abstinendum, examen vespertinum faciendum, cubitum eundum est, non prætergrediatur, & pruriturum ad his contraria suppressat.



PARS TERTIA!

Explicatio punctorum rationis conscientia, tum ut ea clariùs intelligantur, tum ut major rerum ad profectum, spiritualia, ipsùmque institutum spectantium acquiratur notitia tam bene pro te ipso, quàm aliis dirigendis.

PUNCTUM PRIMUM.

An quis contentus vivat suà vocatione.

AD hoc punctum etiam spectat, an quis contentus sit eo gradu, officio, loco, in quo est, porrò contentus vivit in his omnibus, qui acquiescit divinæ per Superiores dispositioni, qui elatos non habens spiritus, sed humilis ex animo, séque his illis coram Deo indignum existimans, gratias Deo agit, & gaudet se in isto statu, gradu, officio, loco esse constitutum.

PUNCTUM SECUNDUM

Circa obedientiam.

Videndum est, quomodo quis se habeat circa obedientiam, primò quoad exteriora & voluntatem, an scilicet exequatur integrè ac perfectè, item promptè & alacriter omnia ei

à quocunque demum Superiore suo imperata, an cogi debeat, an nutus sufficiat. *Secundò quoad intellectum*, an iussa Superioris unius contemnat, alterius æstimet, contrà disputet iudicans hoc, quod iubetur, non debere fieri. An faciliè vel difficulter intellectum suum captivet, & acquiescat, & quæ causa sit, si quoad intellectum patiatur difficultatem. An quia in Superiore Deum non agnoscit defectu vivæ fidei, & quia has illas in Superiore qualitates deesse putat; ob quas æstimari deberet, an ex superbia difficulter se subjiciat, aut proprium critirium deponat, an ex astutia hoc, quod libenter haberet, ut sibi imperetur, procuret, an ex amore proprio hoc, quod molestum est, declinet, vel etiam eo fine mentem Superioris studeat immutare, an verò non degenerans à præcellis cogitationibus filiorum Dei, à quo abhorret, voluntatem excitet, ad exoptandum, ut id sibi imponatur; & hoc, quod amor proprius desiderat, nunquam expetendum: & verè rectus ac simplex corde, & ad quæcunque, quæ Deus per Superiores mandat ac mandabit, indifferens, dicere cum magna animi sui quiete possit, *ut jumentum factus sum apud te*. Demum, an ad eò perveniendum studium posuerit adhibitâ oratione, lectione, examine ac pœnis sibi ob imperfectiones aut peccata non tantum contra votum, sed & virtutem obedientiæ commissa inflictis. Demum, an, quando occurrunt rationes contra officium, locum, vel aliud sibi imperatum, præmissâ oratione,

tione,

tionem, cum omni indifferentia, & submissione, sine turbatione *NB. animi*, eas Superiori proponat.

Circa paupertatem.

AN facile victui, vestitui, habitationi, ut voluntarios in Christo pauperes decet, acquiescat, superflua, pretiosa non petat, nec naturæ grata, nisi præmissâ oratione, & sincerâ intentione; an quæ contraria sunt commodis corporis, vel iis, quæ natura appetit, non obstante naturæ reluctantiâ amplectatur lubens, vel conatus sit ad id se incitare; an è contrario viliora, aut naturæ repugnantia horreat ac fugiat, ideòque, si obtingant, facile murmuret, an quid dederit, acceperit sine licentia, & in rebus concessis etiam laboret spiritu proprietatis, utendo iis secundum prudentiam carnis, vel saltem aliter, ac decet pauperem Religiosum. An difficultas, si quam sentit in experimentis paupertatis, sit ex superbia, pusillanimitate, morbo, sensualitate fomenta carnis ac corporis quærente; an pronus sit in querelas, lamenta, dum hoc illud denegatur; an vera sit necessitas, vel amor proprius prætexat necessitatem hoc illud habendi. Demum, an studuerit perfectioni paupertatis secundum institutum nostrum acquirendæ adhibitâ oratione, lectione, examine, mortificatione in- & externâ, & fugiat ac horreat omnes laxas sententias, effugiat, & mala principia Sensualistarum.

Circa castitatem.

QUàm sit erga eam affectus, quæ veros probat filios Societatis, quas exteriores vel interiores sentiat difficultates, quæ illarum causæ? an sensus vagi, & mala eorum custodia, an carnis illecebræ, an minùs solida occupatio, lectio librorum non satis pudicorum, affectus, & conversationes sensuales cum adolescentulis, mulieribus, cum idem secum temperamentum & sympathicas quasdam qualitates habentibus? unde ex amore sensuali sæpè natus est carnalis, & varia castitati, quæ ut pupilla oculi nec minimos patitur nævos, repugnantia. An his periculosis affectibus nimium fræna laxata, an caro rebellis cibo, potu, aliisque sensualitatibus nimium fota, & sic oleum flammæ infusum sit, an spiritualia, opera pœnitentiæ neglecta, ob quæ facilem ad tentationes carnales, unam alterâ graviolem, commovendas aditum diabolus invenit. An non tantùm castè, sed etiam cautè in conspectu testium, & cum ædificatione omnium præsentium semper cum comptulis, mulieribus, &c. conversatum sit. Demum, quæ remedia adhibita, ut id castitatis donum homo Societatis à Deo impetret, quod per immaculatè conceptæ Virginis intercessionem Societati, ejusque Alumnis præscripta in regulis observantibus Christus dedit. Ut scilicet tentationes carnales tam graves plerumque non sentiant, quibus magna cum difficultate

&

& lucta resistere debeant, sed tales, quas instar muscarum aut pulicum mordentium, sinè magno conatu abigant.

Circa usum aliarum virtutum.

AN occasiones virtutum exercendarum vi officii, vocationis in hac, illa occasione, conversatione negligat, quâ facilitate vel difficultate, intensione vel remissione, obiter vel bene præmeditatè eliciat actus fidei, spei, charitatis, religionis erga Deum, patientiæ, mansuetudinis, humilitatis, modestiæ, misericordiæ corporalis & spiritualis, & an actiones exteriores iisdem conformes amet & exerceat, an ex consuetudine tantùm hæc illa fiant sinè debita mentis recollectione, aut pura intentione, an habitus paulatim hujus illius virtutis acquisitus sit, qui exercitium ejusdem faciliat, sicut nullam artem, ità nullam virtutem propriè possidet, qui ejus habitum per actus frequentatos non habet.

Ad quæstionem, quarum virtutum studio sit maximè deditus, consideretur 1. An earum, quibus maximè eget, quales sunt, quæ oppositæ consuetudini, inclinationi naturali, tentationi vehementi aut frequenti, passioni prædominanti maximè contrariantur; sic à natura superbus actibus humilitatis, biliosus actibus mansuetudinis, patientiæ, &c. maximè indiget. 2. An illarum virtutum studio sit maximè deditus, quibus ab ingenita naturæ indole
vide-

videtur esse propinquior. Equidem hoc culpandum non est, sed ut §. 13. n. 8. monui, magna hic sæpè intercurrit deceptio, & virtus esse putatur, quod est vitium, vel saltem actus merè naturalis omni æternâ destitutus mercede. 3. Demum quæ media, & quo fructu huic illi virtuti acquirendæ sint adhibita.

PUNCTUM TERTIUM

Circa passiones, perturbationes, tentationes, affectiones.

IN hac materia non oportet esse rudem, & ex ruis ad varia quæ sita responsionibus Superior facilè colliget, an tyro vel Magister aut exercitatus sis in arte ac studio Ascetico. Pro instructione serviunt sequentia.

1. *Passiones* vel *motus* utriusque appetitûs inferioris sic dictæ sunt, quod vi suâ *patri* faciant partem superiorem, aut nunquam sinè motione partis inferioris excitentur. 2. *Perturbationes* vocantur, cùm vehementiâ suâ turbant rationem, ut non possit de honesto ritè & ex æquo, durante hoc æstu, judicare. 3. *Tentationes* dicuntur, quando iis se dæmon immisceat. 4. *Affectus* vel *affectiones* dicuntur, quando voluntas vi tentationis aut passionis se moventis præoccupata aut persuasa ex motu primò primo vel actiones ealdem, vel similes appetitui inferiori elicit, sive à propensione naturæ veniant, sive ab extrinseca occasione. Jam ad
quæ-

quæstionem, an sentiat quis animi *perturbationes aut tentationes molestas*, considerandum *1mò*, an sentiat quis talia, ità ut animi quiete non fruatur; an difficulter resistat, à quibus graviùs & sæpiùs impugnetur, aut in peccatum trahatur, an & quomodo resistat, vel quibus utatur mediis, aut an econtrà paulatim det *vitæ* manus, in eoque appareat fuga laboris ad certandum in contrarium, languor animi, debilitas spiritûs, & quoad damna ac pericula, ejusmodi debilitatis ac languoris, insensibilitas quædam summoperè periculosa. Porro experienciâ propriâ vel alienâ, si diutiùs Pater aut Dux fuisti spiritualis ejusmodi tentatorum, didiceris; graviores *tentationes, perturbationes, affectiones* ortum ducere aut roborari *primò* ex innata superbia. *2dò* ex vario inordinato amore, iracundia, odióve erga alios, vel demum *3tò* ex melancolia aut hypocondria ingenita.

1mò, Innata superbia gignit amorem excellentiæ & honoris; unde, si quis minùs excellat, exoritur impatientia, tristitia, animi defectio, invidia, &c. quæ sanè multùm turbare possunt hominem; si autem excellat, séque ob talenta scientias æstimari videat, oritur contemptus aliorum, tumor mentis, qui in causa est, quò minùs mansuetè ac benignè quis agat cum inferioribus, sociabiliter ac fraternè cum æqualibus, reverenter & submissè cum Superioribus, & acerbo animo eorum monita aut reprehensiones excipiat, multùmque indignetur, si sibi utpote, si Superis placet, viro tan-

to hæc illa denegentur. Hæc lucta interior sæpè stravit viam ad varia peccata, imò & apostasiam.

2dò, Innatus aut acquisitus amor inordinatus est varius, v. g. imò nimius amor corporis ac carnis propriæ, ejusque commoditatum. Hinc quærentur sæpè non satis honestè pecuniæ, & si commoditates in cibo, potu, vestitu, aut varia in cubiculis supellectile sensualitatis subservientia negentur, oriuntur querelæ, murmura, aversiones animi, diffidentia erga Superiores. 2dò, nimius amor occupationum exteriorum, quæ non sunt juxta institutum & vocationem tuam. Unde mens non inhibita effunditur in loquacitatem, curiositatem, nugas, jocos, vanitates, &c. Huic affinis est amor libertatis nimia, cujus signa sunt, si quis horreat exactam disciplinæ religiosæ in loquendo, agendo, conversando observationem, ad vitam laxiorem [regulas & spiritualia negligendo] aspiret, paupertatem & humilitatem molestè ferat, fastidiat fratrum simplicium, aut regulas ad amussim observantium consuetudinem, negotiis vel externorum, vel se non concernentibus libenter se immisceat, desiderium nimium cum externis agendi foveat, sentiâtque que inquietudinem, cum ab eorum consuetudine abstinendum est. 3tiò, amor inordinatus erga consanguineos Patriotas. Unde proveniunt inquietudines, amicitia particulares, oblocutiones, abalienationes ab aliis, conspirationes & conventicula noxia, quæ integrum

passionum variorumque malorum possunt alere exercitum. 4^{to} demum amor inordinatus erga alios maximè juvenes ob pulchritudinem, munera, ingenium, affabilitatem, aliàque naturæ dona, & sympathicas qualitates. Hic sensualis amor sæpè fit carnalis, & inadvertenter se insinuans, & per amatosos aspectus, manuum compressiones, etiam amplexus & oscula se corroborans, ità paulatim corda agglutinat, ut in absentia amati inquietus sis continuò desiderans ejus frui præsentia, & in hac non tantùm pecces contra regulas religiosæ modestiæ, contentus hæc illa non esse peccata mortalia; sed etiam per continuam amoris reciproci provocationem uno quasi impetu sæpè in lethalem noxam prolapsurus sis, nec liber unquam eris inordinatis animi corporisque motibus, inquietis cordis affectionibus, gravi interiori luctu [cùm conscientia stimulet, divinæ inspirationes urgeant, ut hæc vincula disrumpas, & Deo cor ab omni inordinato affectu vacuum offeras] quàm discas modum amoris erga homines ponere, & quidquid inordinatum est, eliminare per examen particulare, accuratam sensuum, quæ allicere possunt, custodiam, iteratas, easque solidas animi recollectiones, ac in Deum velut unicum & summum Bonum omni unice amore dignissimum elevationes, pœnitentiæque pro expiandis etiam lævioribus nævis opera.

3^{to}, Sicut jam amor erga quæcunque inordinatus varias passiones movet, perturbationes,

ten-

tentationes, inquietudines, & mala causas in
objecto prosequendo, ita in averfando innata
iracundiæ passio, odium erga eos, contra quos
antipathiam sentis, vel qui te tuosque offende-
runt, summopere te quoque conturbare pos-
sunt, & ad varia inducere mala. Prætexis qui-
dem complexionis diversitatem, inurbanos, im-
politos mores, fraudulentum alterius genium,
& justam, quam erga eum habes, averfionem;
interim debita & consueta caritatis fraternæ of-
ficia negligis, amaritudinem animi foves & au-
ges indies, & si hic par pari referat, animosi-
tates inde enascuntur, quæ & te & ipsum magis
magisque occæcabunt, ut cæco cæcum ducenti-
te ambo cadatis in foveam. Sub initium securis
radici applicanda, sicut omni inordinato affe-
ctui, ita & omni inordinatæ averfioni, ne dia-
bolus, in omnem animæ tuæ perniciem sive in
objecto prosequendo, sive averfando intentus,
te immisceat, majores motus cieat, & vitia
duo verè diabolica, iram scilicet & superbiam,
quòd coram altero te humiliare nolis, magis
magisque in animo tuo implantet. Hinc si pec-
câsti ex subito impetu, Sol non occumbat super
iracundiam tuam, pete à Deo & proximo ac
confratre tuo veniam; in actibus, ad quos à
natura propendes, contrariis te sæpè exerce,
& vince teipsum amore Dei, amore tuî, amo-
re proximi pretioso Christi sanguine redempti.
Difficultas, quam sub initium sentis, magis
magisque per frequens exercitium attenuabitur,
&

& sic ex passione non exurget *vehemens tentatio,*
aut perturbatio.

4to, Varias perturbationes tentationesque
provocat innata melancholiz aut hypocondriæ
passio, & ex hac decumbentes infirmitate peri-
to indigent animarum medico. Talis enim ge-
nii homines scrupulis, anxietatibus, animi &
conscientiæ angustiis valde obnoxii sunt, quos
ulterius inquietat diabolus; & sive in materia
blasphemiz, sive impuritatis, sive ad pusillani-
mitatem, deserendam vocationem, aut aliud
quodcumque scelus instigentur, vivacioribus
ac molestioribus præ cæteris phantasiis obruun-
tur, quæ certè ita rationem occæcant, ut,
quid consilii capiendum sit, nesciant, & ita
animum omninò despondeant desperationi
proximi. His satis inculcari non potest tritum
illud:

*Principiis obsta, serò medicina paratur,
Dum mala per longas invaluere moras.*

Nec remedium sub initium his est aptius, quàm
1. frequens recursus ad Deum, & immaculatè
conceptam Virginem. 2. Ad Superiorem, cui
omnes internos motus ac miseras candidè, &
sinè noxia verecundia ac diffidentia, quam dia-
bolus inspirare, & semper augere conatur, ape-
rire debent; inde enim sane levamen sentirent,
maximè si remedia ab eo suggesta in praxin de-
ducere sedulò allaborent. 3. Si, dum melan-
colicis humoribus ac phantasiis torquentur, non
ma-

maneant in loco, in quo confident, desides, & serpentem quasi in sinu foveant, sed contritantur, alium locum, aliam occupationem quærant, inter quæ & est alloquium cum Patre aut Viro spirituali, utcunque omnes homines iis in æstu isto invisî sint & appareant, uno verbo facienti, quod in se est, Deus certè non deerit. Hoc infinitè potens, fidelis, misericors tibi promisit, qui tanquam infinitè verus ac verax dixit: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Vide plura in reflexione præcedente de melancolicis. Demum ex quacunque demum passione, affectione oriatur tentatio, candidè aperire debes Provinciæ Præsidi, ad quos affectus vel peccata sis magis propensus, ut is idè de loco, officio, aliisque tibi in bonum tuum providere possit.

PUNCTUM QUARTUM, QUINTUM & DECIMUM.¹

Circa constitutiones, regulas, institutum, zelum animarum.

HÆc vocabula, *Institutum, Constitutiones, Regula*, bene intelligenda sunt. *imo, Institutum* est terminus complectens reliqua, scilicet constitutiones, regulas summarii, & modestiæ communes, item Decreta Congreg. Generalium, ordinationes, instructiones PP. Generalium, & Regulas particulares officiorum in Societate, quæ omnes ad finem vocationis nostræ in majorem scilicet Dei gloriam, salu-

salutem ac perfectionem propriam & proximorum collimant.

2do, *Constitutiones* continent illa, quæ S. P. Noster in Examine, ut vocat, generali (quod maximè concernit admittendos ad Societatem) & decem partibus *Constitutionum* (quæ concernunt admissos & viventes in Societate) conscripsit.

3tio, Est differentia inter *regulam* & *Regulas Societatis*. *Regula Societatis* antonomastice seu specificè illa est, quæ continet fundamentales leges ac substantialia, per quæ etiam Societas specie distinguitur ab aliis Ordinibus, & consistit in punctis Paulo III. brevius, & Julio III. fusiùs oblati; de quibus Paulus III. dixit: *Dignus DEI est hic*. Cong. V. Generalis Dec. 58. statuit adhuc plura, præter contenta in formula Julio III. oblata, habenda esse pro substantialibus, & addidit alia quinque. V. de his etiam Cong. VII. D. 40. & parte tertiâ Hist. Societ. L. 3. à n. 27. Porro certum est, quòd *Regula Societatis* specie nos distinguens ab aliis Ordinibus religiosiis complectatur diversitatem graduum, votorum formam regendi, facultatem dimittendi, &c.

Summarium Constitutionum, sive regulæ ex iis excerptæ, quæ ad spiritualem nostrorum institutionem pertinent, & ab omnibus observandæ sunt, vocantur *Regula generales*, juxta Dec. 76. Cong. 2. & cum perfectionem hominis è Societate spectent, cadunt maximè sub curam Præfecti Spiritûs, & Superioris Domûs
vel

vel Collegii, qui quoad regimen internum (hoc est, ut penitus noscat subditorum genios, corda eorum ad se attrahat. & in genuina perfectione instruat) debet excellere; & quia non omnes æqualem à Deo gratiam habent in gradibus perfectionis adipiscendis, sed generatim omnes pro mensura gratiarum sibi data ad perfectionem niti debent, hinc *Generales* vocantur, non *communes*; quasi sit æqualitas quoad omnes in earum observatione tenenda.

Præter *Regulas generales*, sive ex summario Constitutionum extractas S. P. N. scripsit, *regulas modestias*, quæ mores & exteriorem corporis ac gestuum compositionem concernunt, & quia inde perfectio interior dignoscitur, & ad proximi ædificationem plurimum contribunt. Hinc illachrymatus iis inter scribendum est S. P. N. qui illa utpote levioris momenti tractarent, aut tractaturi ex posteris essent.

Regula communes, sive ab omnibus æqualiter observandæ extractæ plerumque quoque sunt ex Constitut. S. P. N. & cadunt sub curam Ministri domûs; quia ordinem & disciplinam concernunt domesticam ab uno æquè ac ab altero observandam; & hinc etiam à tertia & quarta Cong. *communes* vocatæ sunt.

Regula particulares vocantur, quæ cujuslibet concernunt officium, prout in Instituto latius videre est. Porrò sicut S. P. N. harum omnium est Author primarius, ita Everardus Mercurianus Generalis Societatis Quartus in unum esse bene ordinatum corpus redegit, & ejus Successor

cessor Claudius Aquaviva operâ usus P. Mironis, qui S. P. Nostro adhuc convixerat, & singula quæque accuratè adnotârat, ultimam limam apposuit vi potestatis à Congr. quarta sibi datæ.

Decreta Congr. Generalium, & Ordinationes impressæ PP. Generalium, quæ ex ipso fonte Constitutionum sunt depromptæ, & nonnihil latiùs, aut pro occurrente dubio clariùs eas explicant, habent vim legis aut regulæ. Instructiones sunt pro directione Superiorum, & hæc omnia in Instituto Societatis impresso præter Bullas Pontificum, compendium privilegiorum, & libellum exercitiorum S. P. N. continentur. Responsa Romana in scripto extantia, & nondum impressa habent vim legis vel directionis, prout Præpositus Generalis declarat. Jam quod circa hæc omnia concernit

Punctum quartum, quintum & decimum in ratione conscientie explicandum. An scilicet firmum quis contra constitutiones, regulas, ordinationes Superiorum habuerit iudicium, aut illi institutum Societatis, mediæque, quibus illa utitur ad suum finem consequendum, arri-deant. Item an quis & quomodo tum consti-tutiones, regulæ modestia, regulas generales communes, tum particulares sui officii observet, notanda sunt sequentia.

Primo, Hæc eo fine in punctis rationis con-scientie apponi, ut eam excipiens conetur ex-fundo noscere genium dantis rationem con-scientie; an scilicet vocationem suam & insti-

tutum magni faciat, & bene erga id animatus sit; quia hoc supposito magna spes est eum multa præclare facturum.

2dò, Aliud est dubitare, vacillare, an hoc illud ritè constitutum sit; aliud formaliter & firmè in contrarium (unde disputatio aut tentatio contra institutum firmè procedit) judicare.

3tò, Etiam leves motus contra Constit. frequentes sint & molesti, sunt aperiendi Superiori, præsertim si sint de graduum diversitate, Societatis gubernatione, manifestatione sui in ratione conscientie, resignatione, ut alteri errata tua liceat Superioribus manifestare, & aliis ejusmodi Societatis substantialibus, quia re ipsa ejusmodi tentationes, aut contra Institutum præjudicia, plerumque oriuntur vel ex Institutum ignorantia, vel falsis imaginationibus, aut aliorum persuasionibus; & quando illa Superiori aperiuntur, omnis tetra dissipatur nubes. Advertere autem debet ejusmodi motibus infestus status, an sub initium ingressæ Societatis, vel quando, an pridem, & quâ occasione iis agitari ceperit, & an unquam cum Superiore aut Viro experto ac spirituali sua dubia communicaverit.

4tò, Ante rationem conscientie dandum oportet tum regulas ac constitutiones in genere tum sui officii particulares mente non nihil percurrere. Dein disquirendum, quas regulas quis sæpius violarit, & an deliberato animo, &

cum contemptu. Demum circa quas majorem difficultatem experiatur.

stò, Quod zelum animarum attinet, facienda est differentia inter eum, qui necdum, & qui jam tum circa proximum occupatus est. Prior examinandus est, an in se sentiat proximi juvandi desiderium, eò sua studia dirigat, & occasione datâ pro modulo suo domi apud confratres, foris apud alios zelum genuinum exercere conetur, & jam paratus sit, ad animas Christo lucrificandas, suo tempore pati contradictiones, contemptum, ludibria, pauperiam, quævis incommoda, quin & mortem; talia generosa sensa juvenibus instillanda.

Posterior excutiendus est, an, dum actu ratione officii operi Apostolico insudat, & ostendere debet se in animabus juvandis esse verum commilitonem & socium D. N. J. C. ejusdem Salvatoris D. N. vestigiis insistat, & reverà nihil quærat, nisi Dei gloriam, & animarum salutem; imò ipse hunc in finem, ne tot coronis æternis excidat, sapiùs se debet recolligere & examinare, an reverà has, illas excursions, conversationes, alloquia sive domi, sive foris instituat, ardua etiam agat ac patiatur propter commodum temporale, famam, gloriam, aut sensualitatem aliquam, vel purè ex amore Dei & proximi. Felix, qui hoc ultimum coram Superiore suo, dum ei rationem dat conscientia, & coram Deo, qui non irridetur, contestari potest in particulari & universali iudicio.

Videndum præterea est, an quis sub prætextu infirmitatis, impotentiae, &c. minus in obsequio animarum præstet, quam præstare posset. Triplex etenim hominum genus est: alii volunt, & non possunt, alii possunt, & non volunt, alii & volunt & possunt; & ut hi infinitum multiplicentur, optandum est

PUNCTUM SEXTUM & SEPTIMUM

De rebus spiritualibus.

IN puncto sexto explicatione non indigent sequentia, quantum quis temporis orationi tribuat, an vocali, an mentali potius iudicetur, & quem modum in orando teneat. Sciendum tamen est, quòd affectus erga res spirituales potissimum consistat in his tribus. 1. In sollicitudine, ne quid ex iis omittatur. 2. In summa rerum spiritualium præ omnibus aliis occupationibus æstimatione, ut Eximius ille Suarez maluit omnem suam scientiam perdere, quam vel quadrantem in quotidiana meditatione decurtare. 3. In ardore animi, qui totum voluntatis conatum ad res spirituales rapiat, virésque omnes applicet. Jam bene quis rebus spiritualibus affectus est, qui in his tribus nihil negligit, *meditatur*, qui aliqua subinde negligit, aut negligenter tractat. *Vix* iis affectus esse dignoscitur, qui coactus adhuc parum præstat.

Circa punctum septimum sciendum, quid proprie sit *consolatio, desolatio, devotio, ariditas*

tas, & quia desolatio, ariditas etiam ex scrupulis variisque animi motibus oriri possunt: hinc ea omnia ex regulis S. P. N. in Libello aureo Exercit. de discretione spirituum & scrupulis, & P. Suarez Tom. 4. Tract. 10. l. 9. c. 5. à num. 31. [qui, sicut in cæteris excellit, ita & in institutum nostrum optimè scripsit] paulò altiùs eruenda sunt; tum ut te ipsum, tum ut alios eò securiùs regere possis.

Motiones, quæ immediatè in intellectu & voluntate fiunt à DEO, & unde dignoscantur.

ITaque primò certum est dari quosdam internos motus tam intellectûs, quàm voluntatis ex speciali Dei gratiæ prævenientis motione, & hi vocantur illuminationes, illustrationes, inspirationes & motiones divinæ. V. Trident. sess. 6. per totum. Nec obstat, quòd vocabulis his abusi sint Hæretici, qui *illuminati* dicti sunt. Hæ autem motiones vel fiunt immediatè à Deo, vel per Angelos bonos, quos imitari conantur dæmones transfigurantes se in angelos lucis. Porrò Angelus sive bonus, sive malus possunt tantùm excitare voluntatem mediante intellectu, & appetitu sensitivo, & utrumque horum mediis phantasmatis, seu objectis sensibilibus vel imaginariis. Solus autem Deus, teste D. Thomâ, immediatè potest interiùs *influerè rationali menti, & illabi animæ* movendo intellectum & voluntatem. Porrò signum intel-

tellektum sic immediatè moveri à Deo est, si
 oriatur apprehensio vel cognitio aliqua, qua
 hic & nunc per imaginationem non potuit exci-
 tari; cùm sit de objecto nobiliori, quàm in
 sensum unquam eeciderit, vel fiat tam subitò,
 cum tanta intelligentia veritatis, ut ex vi phan-
 tasmatum comparari non potuerit. Ut si gen-
 tili, v. g. qui nunquam de Deo cogitavit, sub-
 itò, & sinè discursu se offerat cogitatio, esse
 aliquod ens supremum, & hanc cogitationem
 altè menti infixam sentiat. Simile est de fidei
 simplici, vel etiam illiterato, cui subitò offer-
 tur cognitio de Deo Trino & Uno cum tam di-
 stincta repræsentatione veritatis, ut planè supe-
 ret capacitatem ejus. Ejusmodi illustrationi-
 bus à Deo immediatè submissis in specu Manre-
 sana recreatus fuit S. P. N. Ignatius, ut postea
 dicere solitus sit, si sacræ litteræ non extarent,
 se tamen pro fide mori paratum esse ex iis solùm,
 quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus, quo
 tempore homo litterarum planè rudis admira-
 bilem illum composuit exercitiorum librum Se-
 dis Apostolicæ judicio, & omnium utilitate
 comprobatum. Similis immediata interna
 motio etiam se prodit in judiciis practicis de di-
 ligendo Deo, pœnitentia agenda, perfectione
 sectanda, &c. nam aliquando tam subitò, &
 tam vehementer ea proponuntur menti, ut ferè
 apertè constet, ea immediatè provenire à Deo,
 nec habere originem ab objectis sensibilibus, &
 phantasmatis, sed potiùs, si aliqua phanta-
 sia apprehensio tam concitatur, eam à menti

cogitatione excitatam esse. An jam ex parte voluntatis fiat motus immediatè à Deo, desumendum est ex modo, v. g. quando, licèt motio ista operetur circa objectum cognitum, vehementiùs tamen voluntatem rapit, quàm objectum ipsum possit, aut aliàs movere soleat, & si objectum proponatur ut prosequendum, voluntas sentiat impetu, ac velut necessitate quâdam se ad illud affici saltem per simplicem affectum, vel majori se suavitate ad id inclinari, quam sibi possit suâ industriâ comparare. Si autem objectum proponatur ut fugiendum, vehementiùs præter solitum terreatur, ut sæpè sentit inveteratus peccator aliquis, quem Deus ad saniora vult reducere, & quando similes affectus versantur circa superiora & spiritualia bona, & per se honesta, & hoc modo fiunt. Signum utique est ab ipso Spiritu S. voluntatem immediatè moveri, quia nulla creatura habet tantam efficaciam in humanam voluntatem, & tali modo Suarez l. c. n. 39. dicit intelligendam esse reg. 2. de discret. Spirit. S. P. Nostri, quòd talis motio detur nullâ præcedente causâ.



*Motiones Angeli boni & mali quomodo
dignoscenda.*

2do. **C**irca motiones intellectus & voluntatis, quæ fiunt ab Angelis sive bonis, sive malis mediis phantasmatis, seu objectis sensibilibus vel imaginariis. Notandum est primo ex reg. 1. de pleniore spirituum discretionem S. P. Nostri, quod Angeli boni & mali dent ex eo, quod habent, & quo abundant. Hinc Angelus bonus affert lætitiã, malus obruit pusillanimitate, tristitiã, torpore, &c. ex meditatione de duobus vexillis in lib. exercit. discerni quoque possunt, ut advertit P. Diertius, motus spiritus boni & mali. 2do, Suarez l. c. à n. 35. ad tria capita hoc in genere revocat regulas de discretionem spirituum, dicitque consideranda esse horum motuum materiam, finem, modum. Si *objectum* vel *materia* peccatum est, patet venire à dæmone: si honesta, inde non statim erui potest, venire à bono spiritu, quia bonum potest malè fieri, & ideò etiam à dæmone suggeri. Pariter si *finis*, ad quem tendit motio interior, malus est, patet motionem esse à dæmone; si autem honestus est, indicium quidem est spiritus boni moventis, sed non sufficiens, quia sub illa specie boni potest non intendi bonitas, & major bonitas ac perfectio impediri, imò majus inde malum oriri, sic v. g. sub specie boni intendere potest dæmon, ut in discretã mortificatione ineptus fias ad munus præ-

professionis tuæ, indiscreto zelo plura mala, quàm bona facias, & sic pertinaciter sensis tuis inhærens contra Superiorum aliorumque Virorum prudentum consilia, illusionibus variis eris obnoxius, & tandem dæmoni præda fies. Hinc utcumque finis honestus ac bonus sub initium esse videatur, ad quem tendit motio: Ulteriùs utendo simul consilio Viri prudentis (cùm quatuor oculi plus videant, quàm duo) bene examina, quò tandem vergat ista motio, nisi hoc fecisset S. P. N. dum studiis animum intendere volebat, ab iis impeditus per internas illustrationes, affectiones erga spiritualia, nec Societatem condidisset, nec tot proximos ad cælum duxisset. *3tio quoad modum observandum*, an placidè & suaviter fiat interior motio, & cum magna animi tranquillitate; an verò durè, quasi violenter, & cum aliqua animi perturbazione, & tunc juxta reg. Posteriores S. P. N. de discret. spirituum consideranda est conditio personæ, quæ movetur; nam si ea curam alioqui habeat procedendi in virtute, & suaviter moveatur, signum est eam à bono spiritu moveri; si autem asperè, à malo. Econtra, si persona est in peccatis, negligens in divino obsequio, resistens his illis inspirationibus, quibus Deus jam dudum cor amore inordinato vacuum petiit, à bono spiritu habebitur asperè (quia reprehensione indiget, donec obediens mereatur consolationem) à malo blandè & suaviter movebitur, quia uterque spiritus intendit vel mutare animam à dispositione sibi contraria, vel

promovere in sibi conformi. Mutatio autem ordinariè requirit commotionem vel asperitatem, continuatio vel promotio in dispositione, quæ, dum Angelus bonus vel malus internè mover, ei conformis est, utique homini sic moto obveniet suavior, & hinc certè dæmon peccatorem non turbabit in somno animæ, nec Religiosum negligentem in suo tempore & sensualitate; & si uterque non sentiat ampliùs inquietudines, internas reprehensiones asperas, aut remorsum conscientiæ ab Angelo bono excitatum. Pessimum signum est, & illud Scripturæ timendum: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, venite, derelinquamus eam.* 4to, mulieres, & à natura melancholici, item criticio proprio plus æquò inhærentes, ob vivacitatem ac tenacitatem phantasiæ, judiciique proprii amorem, præ cæteris, periculosus sæpè à malo genio agitantur motionibus. Hinc ad eas discernendas & talis persona, & ejus Confessarius ad *objectum. finem, modum* motionum, ut P. Suarez advertit, diligenter attendere debent; & si hæc tria bene quilibet observare velit, etiam eum non seducent homines sive in sæculo, sive in religiosa domo, qui ad hæc illa, aut has illas partialitates fovendas sub specie pietatis conantur eum inducere, & multò minùs quis credet mulierculis suas visiones, apparitiones, & quascunque demum phantasticas ideas narrantibus; meretur etiam attentè legi caput 54^{um} lib. 3. Thomæ Kempensis in libro suo aureo de *imit. Christi*, inde enim apparebit [dum pu-
tas

tas te hoc illud justè prætere, injustè pati, necessarium esse, ut te defendas, famæ consulas, vires conserves] apparebit, inquam, an hæc illa interna motio ab instinctu divino aut bono genio, vel dæmone ac amore proprio proveniat.

Scrupuli quid sint, unde proveniant, & qua contra eos remedia.

3tio. Circa scrupulos notanda sequentia ex reg. S. P. N. dignoscendis. 1. *Scrupulus* non est erroneum purè iudicium, cum v. g. quis putat, se crucem humi figuratam calcando peccasse; sed dum ex una parte venit suspicio nos peccasse, ab altera in mentem venit ex fundamento bono nos minimè peccasse relicta ambiguitate, & animi perturbatione. 2. Possunt scrupuli immitti à Deo, vel etiam à dæmone, vel etiam ad eos multum contribuere innata naturæ pusillanimitas, melancholia, proprii iudicii pertinacia, item vivaciora & tenaciora phantasmata, quæ unus habet præ alio. Signum, quod à Deo immittantur, est, si Confessario aut Superiori hæc illa agenda vel vitanda præcipienti libenter obedias, si ægrè velis, aut absolutè nolis eorum ductum sequi; signum est à tua defectuosa indole vel dæmone provenire, & hoc inde certius patet, si, ubi non deberes, sis anxius & scrupulosus, & in alia materia, ubi rigidior esse contra te deberes, sis æquò laxior. Cæterum sicut bonum est,

est, laborâsse aliquando variolis in ordine ad purificationem sanguinis; itâ sub initium v. g. conversionis bonum est ad purificationem animæ immitti à Deo scrupulos; quia, dum hi itâ animam innocenter torquent, inde major horror erga peccata re ipsâ talia exoritur, & in tali sensu verum est illud S. Gregorii: *Sanctarum mentium est, facere culpam, ubi culpa non est.* 2do, quando ejusmodi anxietatibus obrueris [sicut dum vehementi tentationi carnali vel aliâ pulsaris] debes bene reflectere ad monitum S. P. N. scilicet dæmonem agere, sicut impurum lenonem volentem seducere divitem filiam; nam, quemadmodum hic puellæ inculcat, ut de illicitis, ad quos eam conatur perducere, amoribus & sollicitationibus, nil aperiat patri; itâ dæmon vexans nil magis quærit, quam ut tuo proprio critirio nixus, vel etiam præverecundia, diffidentia, nî miseras tuas non exponas candidè & confidenter tuo spiritali Patri, & sic durantibus in anima tumultibus tandem reapse in peccata incidas. Novi unum ex nostris, qui in Novitiatu diris torquebatur suspicionibus ac phantasiis, quòd omnes alii cum ipso Superiore peccatis carnalibus essent impliciti; vexabatur itâ per octiduum phantasiis istis, ut alius ex exterioribus turbas internas colligens suaderet, ut, quidquid internè torqueret, sincerè Superiori exponeret. Fecit id post longam luctam, & cum tremore totius corporis non aliter intravit cubiculum Rectoris, quam si ad patibulum duceretur, & diu, licèt interro-

tus, quid vellet, hæsit mutus. Tandem noxiâ superatâ verecundiâ, omnibûsque internis detectis latebris solatio plenissimus abiit, nec deinceps unquam tetrâ ejusmodi nubibus animus ejus involutus fuit. 310, sicut dæmon conscientiam teneram ac delicatam conatur facere delicatorem, & magis magisque augere vim apprehensivam, ut judicetur vel timeatur peccatum v. g. consensu interno commissum esse, quod reverâ commissum non est, ut sic homo in extremum redactus anxietatis gradum à profectu in virtute aut perfectione impediatur, nec generosas resolutiones ad aliquid ex DEI amore fortiter agendum aut patiendum capessere possit, aut tandem etiam in deteriora labatur. Itâ astutus nebulo crassam & laxam conscientiam conatur efficere laxiorem, ut, v. g. qui prius non ad eò horrebat venialia, expòst parùm curet se lapsum esse in mortale. Et hinc S. P. N. reg. 5. bene monet, ut semper ad oppositam dæmonis suggesti partem tendamus, faciendo scilicet conscientiam strictiorem, si dæmon eam intendat facere laxiorem, & vice versâ, ut vitæ extremæ utriusque partis periculis anima in medio quodam & securo statu jugiter permaneat. 410, Quod si jam oggeratur tibi, ne hoc vel illud opus bonum, quod tibi proposuisti, facias, v. g. ob vanam inde eventuram gloriam, vel malum aliud. Eleva mentem in Deum, recollige te & examina, an factum ejusmodi ad Dei gloriam vergat, nec contrarium sit Superiorum voluntati aut professioni

tuæ, nec ab Ecclesiæ usu vel Majorum sensu deflectat. Id iuueniens statim, quod proposuisti, aggredere, & obstrepenti dic dæmonicum S. Bernardo: *Propter te non incepti, propter te non desinam.* 5to, Suarez l. supra citato c. 7. num. 3. obiervat, S. P. Nostrum in suis regulis agere tantum de scrupulis circa præsentia, non autem circa præterita, v. g. dum angitur quis sine sufficiente fundamento, an peccata priora legitimâ confessione expiata sint, an huic illi turpi cogitationi consenserit! tum quia ex regulis suis de discret. spirituum & scrupulis satis advetti potest, num anxietates istæ à dæmone mediante phantasiâ excitatæ sint, & quod consequenter eis resistendum sit; tum quia dæmoni satis occurri hoc in genere potest, si serventur ea, quæ de examine conscientiæ confessione generali S. P. N. alibi tradidit. Juxta Gersonem teste Suar. pro scrupulosis hac in materia duo prætereà observanda sunt. 1. Oblivioni dandum est tempus præteritum, & in genere tantum petenda à Deo venia peccatorum per generalem contritionem, non autem anxie examinandum, an consensus his illis turpibus cogitationibus præstitus; quod eiusmodi hominibus eò minus conducit, quò magis se, reflectendo ad species peccatorum in individuo, novis exponunt tentationibus, & caput inutiliter fatigant; quia reapse unâ reflexione excipiente alteram spiritus vitales enervantur, & jacitur semen novarum v. g. in materia lubrica tentationum. Naturale enim est, quòd species objecti

for-

fortius & vivacius phantasiae impressi identidem recurrant, & sic loco, quod abigere omnimodo dæmonem deberes, juvas eum ad te debellandum. Adhæc, si quoties tu times, etiam toties reapse pravis plenè liberè consensisses cogitationibus aut desideriis; jam dudum quoque occasione datâ externum peccatum perpetrasses.

Alterum ex Gersone remedium est, quodd, quando tempus præteritum sollicitat, metusque supervenit, non fuerit facta sufficiens confessio, occurrendum sit, revocando in memoriam voluntatem, quam quis habuit hoc illo tempore ad confessionem generalem se præparans integrè ac perfectè omnia confitendi, & quod tunc fecerit, quidquid potuit, imò ex consilio Confessarii statuerit præteritorum non amplius recordari, ut Deo servire melius in quiete animæ suæ posset. Hoc in proposito perseverandum, & sic malè fundatus metus & anxietas dissipabitur. Demum *6to*, hoc universale sit principium timentibus & anxiiis, neritè confessi sint, aut confiteantur, aut dignè communicent, Sacramenta hæc à D. N. J. C. ex amore infinito erga homines instituta esse, ut nos in sua gratia confortent contra omnia dæmonum molimina, & nos in hac miseriarum valle solentur ac animent, & non, ut nos variis perplexitatibus, angustiis torqueant, adedque satis vides non provenire à bono genio misérias istas, sed à malo, qui, si plus non possit, saltem quoad hoc ex diabolica erga ho-

mines

mines rabie & livido quodcumque iis bonum
invidendi genio habet intentum suum, quod
tam uberibus gratiæ divinæ pascuis anima tua
non saginetur & impinguescat, aut introducta
in cellam vinariam à Sponso suo divinarum con-
solationum musto inebrietur. Jam ad has ve-
niendo, sciendum est ex reg. 3. S. P. N. de mo-
tibus animi discernendis, ut magis in ascetica
doctrina proficias.

De consolatione, desolatione.

410. **Q**UOD spiritualis consolatio (vide Di-
rect. in exercit. c. 27. §. 3.) non sit
habitus, sed velut spiritualis passio data super-
naturaliter, & ejusmodi passiones vanæ esse
possunt, ut quies quædam interior ac satisfac-
tio, gaudium spirituale, clarior cognitio re-
rum divinarum, infusæ subitò consolationis la-
chrymæ, vivida mentis in Deum ac cœlestia
elevatio, spes in Deo fixa, singularis gustus ve-
ritatum & rerum æternarum ac cœlestium, ca-
lor sancti amoris, v. g. in Communione, ce-
lebratione Missæ, mira complacentia in voca-
tione, officio, ejusque functionibus, stimuli
interni ad fortiter agendum ac patiendum pro
Dei gloria, ad invitandam humilitatem & man-
suetudinem D. N. J. C. ad agendas Deo gratias
cum magno interno solatio; quod velut pri-
marius ejus Minister in primario opere, & divi-
norum omnium dignissimo salute scilicet proxi-
mi pretioso ejus sanguine redempti cum juven-
eius-

ejusque data tibi hunc in finem gratiæ promodulo tuo coopereris, quòd commilitones egregios hoc in genere habeas, &c.

Atque ex his patet 1. quòd multi sæpè habeant internas à Deo consolationes, licèt non putent se habere; quia non accipiunt ut pueri aut incipientes saccharum, sed solidum panem, qui inadvertenter magis nutrit & corroborat, 2. Quid sit *desolatio* scilicet carentia ejusmodi internarum motionum. 3. Quòd *devotio*, prout ab *ariditate* distincta, sit gustus singularis in oratione, usu Sacramentorum, aliisque spiritualibus exercitiis, & *ariditas* gustus istius carentia interim sicut & suaviter equitat teste Kempensi, quem gratia divinæ consolationis, & saporis cujusdam in spiritualibus gustus portat. Ità certum est, quòd, si nihilominus in media desolatione ac ariditate iis constanter insistas, nec vel minimum negligas aut decurtes, plus habiturus sis meriti, quàm si hæc per internas unctiones omninò suavia ac amabilia tibi redantur. Præterea reflectendum est, quod ejusmodi desolationes, ariditates, & multò magis evagationes animi sæpè orientur ex culpa tua, v. g. negligenti custodiâ sensuum, affectu nimium sensuali, & erga creaturas inordinato, nimiam erga hæc illa sollicitudine ac studio, aut etiam oriositate, animi levitate, ex defectu debite præparationis, exercitiorum spiritualium, præ fastidio, omissione aut decurtatione; sicut in temporalibus, ità & spiritualibus tritum illud ordinariè loquendo valet adagium: *Unusquis-*

quis-

quisque sua fortuna faber est. Porro experientia constat mediocriter erga spiritualia affectos non esse constantes in fervore, mox gaudent de consolatione aliqua interna, mox queruntur de desolatione & ariditate. Et tunc, si Patrem agis spiritualem, officii tui partes exigere scias, ut malè aut tepidè erga spiritualia affecti per te gravioribus adductis motivis stimulentur, bene affecti merentur à te solatium & instructionem, dum ariditatibus ac desolationibus infestantur aut obruuntur.

PUNCTUM OCTAVUM & NONUM

De fructu ex Communionem, Confessione, Examine, aliisque, & progressu post ultimam rationem conscientia datam.

1^{mo}. **F**ructus generalis ex his omnibus est
 1. *ex parte intellectus* illustratio clara docens, quomodo quis se ad Deum & actiones suas, ad ipsum ejusque gloriam ut finem referre debeat, resque divinas aestimare condignè. 2. *Ex parte voluntatis* fervor finem consequendi, & media adhibendi. 3. Quoad rem ipsam felicior, suavior & efficacior executio bonorum propositorum ob hominem inferiorem magis domitum.

2^{do}, Fructus specialis ex Communionem est refectio spiritualis, renovatio animæ, robur mentis contra passiones & tentationes, unio intima cum DEO, incendium divini amoris, fervor

fervor spiritus ad agendum & patiendum fortiter.

3^{to}, Ex confessione specialis fructus est quies animæ, ardor ulciscendi & compensandi injuriam per peccata Deo factam.

4^{to}, Ex generali examine specialis fructus est cognitio sui, & affectuum suorum, redintegratio amicitiae cum Deo, perfecta sui emendatio.

5^{to}, Ex particulari examine specialis fructus est extirpatio alicujus vitii in particulari, vel virtutis certæ implantatio.

6^{to}, Ex oratione mentali vocali, lectione spirituali, exhortatione, concionibus fructus specialis consistit in majori lumine practico, propositis excellentioribus in praxin redactis, & executionis hujus facilitate, promptiorique hujus illius virtutis exercitatione.

7^{imo}, An post ultimam rationem conscientiae profeceris, facile deprehendes *primo*, si alata in præcedentibus immediatè sex punctis ruminas. *2do*, Si passionem tibi prædominantem magis magisque subegeris; quod colliges optimè ex reflexione super confessiones medio aut integro anno à te factas, an scilicet plus vel minus te accusare in sacro tribunali debueris super hæc illa, ad quæ passio prædominans te induxit. *3^{to}*, Juxta illud non proficere est deficere, si te non defecisse advertas, profecisse te jure sperare potes. Cæterum sicut incipientes & proficientes facile colligere possunt, an ab ultima ratione conscientiae profecerint, ita

negligentes id non facile dignoscunt, & diligentes sæpè judicant se deficere, quod ariditates desolationes habeant, hâc illâ passione, ad veritate commoti efferbuerint, in actus impatientiæ proruperint, plus æquo contristati sint, quæ tamen non sunt semper signa defectus, sed Deus talia permittit subinde ad majorem eorum humiliationem, & ut nesciat sinistra, quid faciat dextera, adeoque ob profectum in virtute nec fiant elati, nec sibi præfidentes.

820, Animum ad perfectionem consequendam quod attinet; hic in tres classes dividi potest juxta instructionem S. P. N. *Prima* est eorum, qui finem sibi quidem proponunt, sed non verè ac efficaciter, quia media & adminicula non adhibent. *2da* eorum, qui media, sed cum delectu & affectu, non tam quia media, sed quia placent, adhibent. *3tia* eorum, qui media, cum indifferentia circa ea, studiosè quærunt, & fortiter amplectuntur.

PUNCTUM UNDECIMUM.

De mortificationibus, preparatione ad injurias, &c.

1100. **F**inis societatis in rebus omnibus est major Dei gloria, salus ac perfectio propria & proximorum, hæc non obtinetur sine mortificatione, & hæc triplex est. *Prima* *Mortificatio* est circa bona externa mediante voto & virtute paupertatis, & ista mortificatio

sumit

sumit vires; si revera effectus paupertatis experire, tibi hæc illa superflua, sensualia, corpori commoda subtrahas, nil inordinatè sordidè, nullum temporale emolumentum quæras, sed unicè tuam ac proximi perfectionem. *1da* Mortificatio est circa voluptates & bona corporis mediante voto & virtute castitatis, quæ promovetur per rigorosam quinque sensuum custodiam, temperantiam, corporis castigationem, & ejus in servitutem reductionem, hinc illa saltem pœnitentiæ opera non intermittenda, quibus in novitiatu assuefactus es. *3tia* Mortificatio est circa judicium & voluntatem propriam mediante voto & virtute obedientiæ, & augetur per frequentia exercitia captivationis intellectûs in hac illa materia, & promptitudinis in voluntate, & sic per hæc tria media accipis nomen & omen, quod sis mortificationi tuæ ipsius deditus, quæ ad spiritûs profectum contribuit, vel maximè autem solida est mortificatio, si in quocunque demum genere minima Dei gloria cuivis bono nostro præponatur.

2do. Quomodo in specie præparatus sis ad injurias, & ad alia, quæ ad crucem Christi, & cum Christo ferendam pertinent, qualèque eorum habeas desiderium, an verum ac fervens, an fucatum, speculativum, tepidum: id indè desumes facilè, si te recolligas & examines, quomodo re ipsâ venientem cruculam suscipias, an ea v. g. in reprehensione, humiliati-
one, contemptu, pœna aliqua à superiore im-
posita,

posita,

posita, mutatione loci officii tibi grati, famâ
læsâ, morbo aut incommoditate corporis cum
magna impatientia, nec sine murmure aut que-
relis à te toleretur, si hic deficiis, quomodo
ferrum patieris & ignes?

PUNCTUM DUODECIMUM.

De Sociis.

Complectitur tria, 1. An in iis quid scan-
dalosi minùs ædificativi &c. adverteris. 2.
Quomodo ex eorum conversatione proficias.
3. An uni plus familiaris sis, quàm alteri, ita-
que notanda sequentia.

1mò. Non prohibetur, sed suppositis sup-
ponendis actus virtutis est, aut reprehendi sal-
tem non potest, quod unum præ alto ames,
æstimes, confidentiùs cum uno quàm altero
agas ex motivo supernaturali aut prudente, sive
ad tuum, sive ad ipsius, sive ad utriusque bo-
num citra ullum tertii præjudicium. Familia-
ritas vitiosa & emendanda est illa, quæ tendit
in violationem regularum, neglectum spiri-
tualium, confabulationes, conspirationes
hæc & illa sibi mutuò procuranda, horum illo-
rum amotionem, mortificationem, &c. &
oritur vel ex affectu ad carnem & sanguinem
vel nationali, vel sensuali aut sympathico qua-
rente, quæ sua sunt, & non quæ JESU Chri-
sti. De his omnibus egi in libello hoc §. 7. &
alibi.

2do. Si vis scire, quomodo ex sociorum conversatione proficias in Domino, vide; an ex eorum consuetudine & colloquiis juvari te sentias in devotione, Dei amore & proximi, promptitudine divini obsequii, æstimatione vocationis, zelo animarum, observantia regularum, exercitio virtutum.

3tio. Denunciationem defectuum & errorum confratrum tuorum quod attinet. In delicata hæc materia observanda sunt sequentia: 1. Paterna denuntiatio computatur inter puncta substantialia instituti Societatis, & quia juxta reg. summ. 9. denuntiatio hæc juxta regulam Societatis non spectat unicè pro fine emendationem, sed etiam majorem in spiritu profectum, submissionem ac humilitatem, & tali denuntiatione quilibet contentus esse debet, & quoad hoc ingressus Societatem juxta c. 4. ex §. 8. se contentum esse declarat nullâ aliâ conditione postulatâ: hinc necessaria non est prævia monitio secreta [quod vel maximè tenet, quando peccatum vergit in damnum tertii vel communitatis] & cum volenti & consentienti non fiat injuria, talis denuntiatio imprimis non est contra justitiam, dein nec contra caritatem servatis servandis; sed potius pro caritate, quia majus bonum confratris per hoc efficaciori modo procurandum intenditur, quàm per monitionem secretam, & hinc non tantùm à denuntiante abesse debet rancor, averfio, exaggeratio omiffis circumstantiis, quæ rem mitigare, aut in meliorem trahere partem possent, item pro-

proclivitas animi ad statim denuntiandum, quod ex suspitione incerto rumore habetur, sed re ad fundum examinata, & hoc illo comperto manifestatio fieri debet debito cum amore, & debita cum intentione procurandi præcisè majorem alterius profectum, vel bonum commune. V. Suar. de his & seqq. tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 10. c. 7. per totum. Cong. 7. Can. 20. severè puniri jubet eos, qui temerè & ex inanis suspitionibus, vel ex alia quapiam minùs probata causa deferunt quid ad Superiores, 2do. Sicut autem constitutiones non imponunt obligationem denuntiandi, sed tantùm etiam non interrogante Superiore, licitum esse declarant: *Ut quodcunque delictum alterius, sive leve sive grave, manifestetur Superiori, ut Patri, Cong. 6. à Dec. 32. ad 34. ità eadem congregatio Can. 10. n. 6. statuit. In delictis, quæ videntur in detrimentum boni communis, aut damnum imminens tertiæ personæ [qualia sunt infestiva aliorum, & nociva bono religionis] non solum posse, sed etiam teneri quemque ea manifestare Superiori ut Patri, ut provideat secretis, & prudenter tam bono subditi quàm religionis, 3tio. Ut benè notat Suar. l. c. n. 3. etiam peccati, quod justè timetur committendum, delatio venit nomine denuntiationis, hinc Reg. 20. commun. dicitur: *Qui gravem tentationem alicujus noverit, Superiorem admoneat, ut ei ipse pro paterna in suos cura ac providentia convenienti remedio possit occurrere. 4to. Cong. 7tima Dec. 12. vult in denuntiationibus teneri modum**

modum, ut nemo ad Superiores mediatos dicta factaque aliorum deferat, nisi prius Superiores immediatos juxta benè ordinatæ caritatis & prudentiæ leges per se aliosque monuerit, addatque; monuisse se Superiorem, nec emendationem esse secutam, & quod, si graves admodum causæ hunc ordinem invertendum suaderent, deferens has transgressi ordinis causas mediato Superiori exponere debeat, quæ reverà si justæ non sint, ex eo etiam capite [cum resignatio juris ad famam fiat secundum constitutiones] peccatur non tantum contra caritatem, sed & justitiam, quia si reverà Superior immediatus tantum potuisset hoc illud delictum occultum grave solus corrigere & emendare; non debebat tribus quatuor innotescere, quod non potest non fieri re ad Superiorem mediatum delatâ; si is per se solum id examinare aut emendare non possit, sed aliis id debeat committere. *scò.* Hæc verba generalia regulæ posse Superiori denuntiari omnia per quemvis extra Confessionem nota à Cong. 6. Can. 10. §. 2. ita modificantur, ut non possit quis uti notiâ in ordine ad denuntiandum, quæ sibi secreto & consilii petendi causa, ut alter dirigatur vel juvetur, communicata fuit. Benè autem notat Suarez hæc verba *secreto & consilii petendi causa* debere sumi copulativè, ita ut denuntiatio liceat *sub secreto amicitia causâ* tantum communicata; & irrita sit *quacunque promissio etiam jurata* de non revelando Superiori, cum id sit contra bonos mores, *primarium regulæ finem*

H bonum

bonum privatum vel publicum spectantis, quod si autem *consilii & directionis gratiâ* simul revelatio facta est, debet teneri secretum, ne avertantur homines à quaerendo animæ bono remedio, si talis usus concederetur, quando autem ob aliquas peculiare ac graves rationes dubitat quis, num debeat rem eo modo secreto acceptam manifestare, juxta C. 15. Ord. gen. n. 4. *consulat diligenter Doctores, ut in re tanti momenti prudenter, eâquo, quâ decet, cautione procedere possit.* Suar. dicit ad hoc requiri, ut ad evitandum maximum commune malum id sit necessarium. P. Claud. rescripsit Anno 1589. *in hac materia non omnia, quæ licent, expedire, & quod omnino hoc in Societate oporteat sciri, servari fidem secreti directionis gratiâ communicari, ut eo libentius subditi res suas communicent.* Ut aut sit, timens, ne is, cui consilii causa se aperit, conscientiam sibi faciat practicam; quod id liceat Superiori suo manifestare, potest lapsus suum ei ad se absolvendum potestatem habenti in Confessione Sacramentali exponere, in quo tamen casu debet instructionem acceptam non tantum bono animo acceptare, sed etiam ulterius exequi, quod à Confessario judicatur esse necessarium. Cæterum Cong. 12. Dec. 15. interrogata, quo secreti vinculo teneretur Superior ad ea, quæ subditus ei extra Confessionem in ratione conscientie manifestavit. Respondit, quod id nulli omnino nec Generali, nec Provinciali revelare possit, nisi eo qui in ratione conscientie ea aperuit, expressis

consentiente. 610. Ad casum quid agendum, si externus mihi defectum fratris vel collegæ sub secreto dixit, respondit P. Claud. Anno 1589. videri, *utendum esse distinctione, nam si res illa aliquid continet, quod spectat ad bonam Societatis gubernationem, non debet promitti secretum, aut etiam si promittatur, non videtur obligare, potiusque suaviter inducendus ille est, ut patiatur Superiori aperiri propter Dei obsequium.* Et si res talis sit, quæ partim externum, partim Societatis subditum concernit, eo quod ille in re ista operam aliquam positurus sit. *Cum id facere non possit sine Superioris licentia, adeoque ad ejus notitiam pervenire debeat; id ipsum externis nuntiandum est, ne se deceptos existiment.* 710. Qui verum zelum & caritatem ordinatam habet; potius attendet ad suos quàm alienos defectus; lividus videbit festucam in oculo fratris sui, & trabem in suo non animadvertet, honestus animus cum dolore ea exponit, quæ ob bonum, sive commune sive privati revelare Superiori debet, & cum paternè denuntiat, non quærit pœnam aut malum confratris, sed ejus præcisè bonum; ex modo denuntiantis sagax Superior denuntiantis animum facillè colliget, maximè, si absque eo indolem ejus perspectam habeat. Quomodo in denuntiatione judiciali procedendum V. Cong. 7. D. 49. Hæc de peccato occulto fieri non potest exceptâ hæresi & prodicione patriæ secundùm jura. Decent tamen hæc peccata occulta exterius esse probabilia, vel saltem non improbabili-

babilia. Porro an & quomodo, dum denun-
tias paternè; confugiengum tibi sit ad Supe-
riorem mediatum, si justæ tibi causæ occur-
rant contra Superiorem immediatum, Con-
sule sub nomine Titii & Caji virum prudentem
& doctum.

PUNCTUM IXTIUM.

*De aversione erga Confratrem, Superiores, affe-
ctūque erga illos.*

Aversio animi oritur primò ex offensione.
2dò. Ex naturali antiphatia. 3tio. Ex na-
tionali spiritu. 4to. Ex invidia. 5to. Ex su-
perbia ob excellentiam alterius, quâ tu cares.
Primus ejus gradus est, cum tantum hæret in
animo sine adjuncta malevolentia, vindicta,
aut mali alicujus imprecatione. 2dus est, cum
hæret in animo adjuncta malevolentia vindicta,
optatione mali, & hic gradus periculosus ac
lethalis est, si consensus accedat. 3tius, Cum
signa externa accedunt; ut negare consueta sa-
lutationis signa, declinare colloquia & con-
versationem, recusare officium caritatis reli-
giosæ, deferre non ex bona intentione, detra-
detrahere &c. talis aversio signum est hominis
parum mortificati; & si gravis sit, est ape-
rienda. Examinandum simul, quæ ejus cau-
sæ, progressus, effectus, leves aversionis motus
contemnendi sunt; si tamen frequentes & mo-
lesti sint; consultius aperiuntur.

Si offensum à Superiore immediato te esse putas sine data eidem causa : licet ideo aversionem necdum sentias, sæpè tamen id aperire expedit sive eidem sive mediato Superiori, ne in futurum noceat ; & ut animorum unio eò securius retineatur. Poterit enim tibi ostendi causa, cur hoc vel illud à Superiore factum sit, quâ detectâ nubes in animo tuo dissipabuntur, vel poteris mitti aliò, vel ipse Superior hoc illud emendare, & sic dissidii, diffidentia, aversionis fons obstruetur. Porro ratione quaestionis, quomodo affectus sis erga Superiores, examina ; an in te sit affectus amoris ordinati, sinceri filialis cum adjuncta confidentia erga Superiores, an timoris, diffidentia : qui faciat fugere praesentiam, alloquium Superioris, item, tristem pusillanimum, tali affectui se facile immiscere potest Dæmon ulteriora inde mala animæ tuæ obventura sperans, hinc omninò eliminandus est.

PUNCTUM IATUM.

CONTINET duo puncta ; 1^{mo}. An tentationes passus sis, quas alii intellexerint. 2^{do}. Praesertim circa vocationem. Primum ideò aperiendum ; ut colligere possit Superior, quid ei circa te, & alios tentationis tuæ conscios, agendum sit ; ut bono tuo aliorum & communi consulatur. Circa secundum expedit ordinariè loquendo ; ut tentatio contra vocationem non aliis, sed Superiori soli reveletur :

H 3

dico

dico *ordinariè*, aliud enim esset; si verè grave ac prudens motivum haberes eam viro alteri spirituali ac prudenti ex Collegis aperiendi. Circa ejusmodi tentationem ponderari merentur, quæ in libello hoc §. 10. Tit. *in tentatione contra vocationem* attuli; præter hæc tenus exposita; ut eò magis in notitia & æstimatione instituti; simul ac desiderio perfectionem ei conformem assequendi crescas; juvat reflectere ad sequentia.

Primò, Quia teste S. Bonav. L. de sex alis c. 7. ad substantiam pertinet officii pastoralis, ut Prælatus conscientias ac indolem suorum subditorum cognoscat; & vel maximè eo indigent ob tot officia ac ministeria Superiores Societatis tum ob bonum commune, tum ob privatum cujuslibet [ne officium aut locum assignent; quæ consideratis considerandis huic vel illi non expediunt, adeoque ex notitia ista totius gubernationis felicitas dependet] hinc, quæ de ratione conscientia & denuntiatione paterna Societas statuit, jure substantialibus societatis adnumerantur, & tantum abest, ne ingenuus quisque suam & confratrum suorum salutem ac perfectionem unâ cum bono communi exoptans, erga hæc justum quendam horrorem concipere possit, ut potius sibi mirè in vocatione ad tale institutum complacere debeat, quod præter tot ad solidam perfectionem adminicula, & ordinat rationem conscientia, ut vi illius riè dirigatur eam dans, & denuntiationem paternam; ut si quis ex noxia

verè

verecundia amoréque proprio excecante prior-
rem directionem respuat; vi alterius ad semi-
tam rectam reducatur. Objectiones, quæ con-
tra formari posse videntur, accuratè diluit Suar.
l. c. L. 10. C. 6. ubi simul ostendit, in aliis
id quoque observatum esse ordinibus reli-
giosis.

2dò. Liberum tibi est dare rationem con-
scientiæ vel sub sigillo Sacramentali, vel sub
secreto naturali, sub priori dari non potest;
nisi quis verè confiteatur Sacramentaliter, & in
ordine ad id se aperiat. V. Suar. l. c. n. 7. Cæ-
terùm differt ratio conscientiæ in genere à Con-
fessione Sacramentali, & quod materiam, &
quoad finem intrinsecum, nam Confessionis
materia sunt tantùm peccata, conscientia au-
tem ratio non tantùm datur de peccatis, sed
etiam tentationibus, inclinationibus, imò &
de bonis operibus, mortificationibus, ut mo-
dus ac discretio in his servetur, & licet hæc ul-
tima, dum in Confessione das rationem con-
scientiæ, respectu Confessionis non formaliter,
sed concomitanter tantùm se habeant; sine pœ-
nitentis tamen consensu nil ex iis revelari po-
test. Qui, si necessarius sit, is à dante ratio-
nem conscientiæ negari non debet, vel ea ipse
extra Confessionem Superiori aperire debet.
Finis intrinsecus (V. Suar. l. c. N. G.) ac per se
Confessionis est *remissio & emendatio peccato-
rum*. Alius enim finis quicunque bonus, quem
potest habere confitens, est accidentarius, ra-
tio autem conscientia *ex fine intrinseco ac per se*
H 4 ordi-

ordinatur præcipuè ad directionem vitæ in futurum, & in tantum requirit manifestationem præteritorum non tantum malorum, sed etiam bonorum operum: in quantum ad providentiam futurorum necessaria est præteritorum notitia, quæ non ordinatur tantum ad vitandum malum; sed ad proficiendum etiam in bono non solum necessario, sed etiam meliori.

3^{tiò}. Superior ratione conscientia sibi extra Confessionem data *primò* pro sua persona potest uti quoad gubernationem internam corrigendo, monendo, & (citra ullam infamiam, vel malam, quæ contra subditum generari posset) suspicionem, occasiones has illas præcludendo. 2^{dò}. Si ad salutem subditi v. g. ad evitandam occasionem proximam peccati gravis conducatur, debet Superior scientiâ suâ uti, in ordine ad hoc: quod in sua est potestate, v. g. mutando, avocando in tali occasione proxima constitutum. Licet inde gravis contra eum suspicio aut sinistra opinio apud alios oriretur; imò infamia ejus contemnenda esset, si tanta esset spiritualis necessitas, salus enim animarum omnibus aliis præferenda est, & ipse subditus hoc velle tenetur, 3^{tiò}. Sic etiam potest Superior hanc notitiâ uti ad convenienter gubernandum subditum in ordine ad bonum commune totius religionis, tum quia naturale secretum non obligat cum dispendio boni communis; tum quia ex ipsa nostra regula constat; ad hunc etiam finem hoc medium ordinari, unde inter-

venit

venit tacitum pactum, & consensus ipsius subditi; quando Societatem ingreditur, tum denique quia inde nulla intervenit infamia; si ob causas sibi ex data ratione conscientiae notas subdito officium aut locum minus gratum assignet, ita exigente & bono privato & communi, & omnino laudabile est; ut si subditus rationem conscientiae det in Confessione Sacramentali, det tamen v. g. Provinciali veniam notitiam sibi communicatam utendi ad exteriorem suam gubernationem saltem in tantum; ut eò magis à periculis peccandi eum amovere possit, qui de cætero, quantum potest, uti hanc licentiam debet cum debita circumspectione, observatione secreti, famæ & consolationis subditi.

4to. Juxta Reg. & Constit. 1. in ipso statim ingressu omnes se aperiunt Superiori. 2. Deinceps in decursu vitæ per designata tempora ultimis votis nondum obstricti 6to quoque mense, Professi & Coadjutores singulis annis, denique omnes toties, quoties Superiori videbitur. V. p. 3. 4. & 6. Constit. & parte nona c. 3. dicitur; ut Generalis, quoad ejus fieri poterit, conscientias suorum noscat; ac præcipuè Provincialium aliorumque, quibus munera majoris momenti committit.

5to. Cum in Ex. c. 4. §. 36. præscribatur, ut omnes conscientiae suæ rationem integram Superiori reddant ab ultima data, *re nullâ, quâ*
NB. Dominum universorum offenderint, celatâ.
Sine dubio id non faciens sine justa causa regulæ

non satisfacit. Quod autem Instruct. 1. de exigenda ratione conscientiae in 6ta Cong. recognita dicatur cap. 2. à ratione conscientiae reddenda Superiori, *semovenda esse ea, quae proprie ad Confessionem pertinent.* Hoc non repugnat ablati hic ex Exam. cum enim S. P. N. in Exam. liberum reliquerit conscientiae rationem intra seu extra Confessionem reddere; instructio modò citata Superiores instruit; ne ipsi cogant subditos extra Confessionem aperire, sed eorum permittant arbitrio, ut altero ex praescriptis modis utantur.

Sicut varii, qui haecenus allata de danda ratione conscientiae, & punctis in ea contentis legunt: fateri fortè debebunt; se hæc singillatim omnia non ità penetrasse, ità omnes, ut spero, ex iis animabuntur ad satisfaciendum in danda ratione conscientiae S. P. Nostri mentium cum omni *humilitate, sinceritate, caritate,* quæ tria pariter S. P. N. inculcat. Interim tu frater in Christo carissime æqui bonique consule, quæ & in methodo opera quotidiana ritè peragendi, & in animadversionibus ad ea tredecim studiosè conquisivi. D. N. J. C. Dux cohortis Ignatianæ det copiosam gratiam tibi, teque continuò stimulet ad perfectionem tam sublimi vocationi congruam assequendam, & tu contra hos stimulos noli recalcitrare, ut impleas ea, quæ in ità dicto *Societatis Breviario* sive *Summario* continentur, quod olim constitutionibus nostris velut præfationis loco præfixum legebatur, postea autem sublatum est.

nequid ibidem haberetur, quod ipse S. P. N. non edidisset, prout notatur p. 2. hist. Societ. l. 2. n. 51. refertur autem ibidem his emphaticis verbis.

Homines mundo crucifixos, & quibus mundus ipse crucifixus sit, vita nostra ratio nos esse postulat. Homines, inquam, novos, quæ suis se affectibus exuerint, ut Christum induerent, sibi martiros, ut justitia viverent. Qui, ut D. Paulus ait, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis se DEI ministros exhibeant per arma justitiæ à dextris, & à sinistris per gloriam & ignobilitatem, infamiam & bonam famam, per prospera denique & adversa magnis itineribus ad cœlestem patriam & ipsi contendant, & alios etiam, quâcumque possunt, ope studioque compellant, maximam DEI gloriam semper intuentes. Hac summa, hic scopus est nostrarum Constitutionum. Usque huc Histor. Societatis l. c.




Facul-

Facultas R. P. Provincialis.


EGo infra scriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni inferioris Præpositus Provincialis potestate mihi à Patre FRANCISCO RETZ Præposito Generali ad id factâ concedo ad decennium Dno HENRICO NOETHEN Typographo ac Bibliopolæ Coloniensi Facultatem recudendi librum, ejus Titulus *Vade mecum sive Praxis &c.* eidemque Jus Cæsarei Privilegii usurpandi eatenus indulgeo; ut librum hunc nemo alius recudere, nemo intra S. Romani Imperii fines & hæreditarias S. Cæsareæ Majestatis Provincias importare, aut venum exponere intra dictum tempus audeat. In cujus fidem has literas manu propriâ subscrip-
tas, & officii Sigillo munitas dedi. Co-
loniæ 12. Septembris 1744.

(L. S.)

JOANNES DIRCKES p. c.
Provincialis ad Rhenum
inferiorem.









Th
3181